Dogm. 895-12



<36610196160010

<36610196160010

Bayer. Staatsbibliothek

Jur. m. 895-12

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ DE SACRAMENTIS EXTREMÆ UNCTIONIS, ORDINIS & MATRIMONII,

QUAS

CUM IN ALMA ET ARCHIEPISCOPALI UNIVERSITATE SALISBURGENSI, TUM IN INCLYTO STUDIO EXEMTÆ CONGREGATIONIS BENEDICTINO-BAVARICÆ AUDITORIBUS SUIS EXPOSUIT

P. HERMANNUS SCHOLLINER,

BENEDICTINUS OBERALTACENSIS,

SS. Theologiæ Doctor & Dogmatico-Speculativæ in eadem Universitate Professor Publ. Ord. Celsissimi & Reverendissimi Archiepiscopi & S. R. J. Principis Salisburgensis Consiliarius Ecclesiasticus, Congregationis Majoris Academicæ Præses.

TOMUS XII.

SUPERIORUM PERMISSU & APPROBATIONE.

AUGUSTÆ VINDEL. & OENIPONTI

SUMPTIBUS JOSEPHI WOLFF.

BIBLIOTHECA
REGIA
MONACENSIS.

Bayerische Staatsbibliothek München

Approbatio Censoris.

Tractatus hic Theologicus de Sacramentis extremæ Unctionis, Ordinis & Matrimonii, non solum nec fidei, nec bonis moribus repugnat, sed varias difficultates perspicua claritate, doctrinæque soliditate accurate pertractat, publico conspectu, usu, & plausu dignus. Augustæ Vind. die 21. Novemb. 1765.

Henricus Sigismundus de Fercher,
SS. Theologiæ Doctor, Ecclesiæ Cathedralis Augustanæ Canonicus Capitularis, Serenissimi Elect. Palatini, ac Rev. & Ser. Principis & Episc. Augustani, Landgravii Hassiæ, Consiliarius Ecclesiasticus, & Vicarius in Spiritualibus Generalis, Decanus Capituli Monheimensis & Parochus Civitatis Wembdinganæ.

Franciscus Josephus de Handl,
SS. Theol. Lic. Rev. & Sereniss. Princ. & Episc. Augustan. Consil. Eccles. Maj. Pœnit. & Libr. Cens. nec non Insign. Eccles. Colleg. ad S. Maurit. Canon. & Paroch. mppria.

Approbatio
S. Facultatis Theologicæ.

Cum ex instructissimo Eruditionis Theologicæ, quam Clariss. Author possidet, promptuario novus iterum tomulus sub titulo: *Prælectiones Theologicæ de Sacramentis extremæ Unctionis, Ordinis, & Matrimonii*, prodiisset, juris ac usus publici fieri desiderans, eundem, utpote orthodoxæ fidei, bonisque morum regulis ex asse conformem, ut lucem publicam aspiciat, non modo dignissimum censeo, verum etiam Clariss. Authori vitam & vires opto, quatenus præclarum, quod cæpit, opus pro singulari studii Theologici emolumento continuare, atque ad finem usque perficere valeat.

Dabam Salisburgi die 19. *Maji*. 1766.

P. RUPERTUS GUTRATH

O. S. Ben. e Monast. D. Petri Salisb. Profess. SS. Theolog. Doctor, ejusdemque in Speculativo-Dogmaticis Prof. publ. Ordin. Celsiss. ac Revmi Archiep. & S. R. I. Principis Salisb. Consiliar. Eccles. p. t. Facultatis Decanus.

CON-

CONSPECTUS.

Numerus designat paginam.

DE EXTREMA UNCTIONE.

CAPUT I.

De existentia, institutione, materia & forma Sacramenti extremæ unctionis.

§. I.

De existentia hujus Sacramenti, & institutione.

Resolutio I. Extrema unctio est verum N. L. Sacramentum. Pag. 3.

Resolutio II. Hoc Sacramentum ab ipso Christo Marci VI. 13. insinuatum, probabilius post resurrectionem ab ipsomet immediate institutum fuit. 31

§. II.

De materia remota & proxima hujus Sacramenti.

Resolutio I. Materia remota unctionis est

oleum olivarum, quod de præcepto in Ecclesia Latina ab Episcopo, in Græca a Presbyteris benedicitur: quamvis hæc benedictio ad Sacramenti substantiam non sit necessaria, & inter Latinos quoque de Romanæ Ecclesiæ permissione simplici Presbytero concedi valeat. 34

Resolutio II. Proxima hujus Sacramenti materia est unctio quorumdam corporis ægri partium. In Ecclesia Latina septem præceptæ sunt unctiones, quamvis ad substantiam Sacramenti unica sufficiat unctio cum forma generali. 37

§. III.

De forma extremæ unctionis.

Resolutio. Olim in quibusdam Ecclesiis Latinis forma adhibebatur indicativa, quæ & hodie valet. 40

CAPUT II.

De ministro & subjecto hujus Sacramenti.

§. I.

De Ministro.

Resolutio I. Ministri hujus Sacramenti sunt soli Sacerdotes, prout includuntur etiam Episcopi. 42

Resolutio II. Quamvis in Ecclesia Latina olim plures adhibiti fuerint Sacerdotes, & in

in Græca adhuc ſeptem adhibeantur, unicus tamen ad validam & licitam adminiſtrationem ſufficit. 45

§. II.

De ſubjecto extremæ unctionis.

Reſolutio I. Soli infirmi periculoſe decumbentes ſunt hujus Sacramenti ſubjectum. 49

Reſolutio II. Græci quamvis etiam ſanos, aut parum infirmos, imo & pœnitentes loco ſatisfactionis inungant, quod ipſis interdictum eſt, ſolis tamen vere infirmis Sacramentum conferre intendunt. 53

CAPUT III.

De effectu & neceſſitate hujus Sacramenti.

§. I.

De effectu hujus Sacramenti.

Reſolutio I. Effectus primarius extremæ unctionis eſt gratia de ſe remiſſiva peccatorum venialium, quæ etiam abſtergit peccatorum reliquias, ſeu torporem animi e vitioſis habitibus peccatisque venialibus contractum: confortat animum, ſeu alleviat & excitat ad magnam de Dei miſericordia concipiendam fiduciam: munit quoque adverſus inſidias dæmonis in ultimo agone vehementiores. 58

Resolutio II. Sanitas corporis secundarius est hujus Sacramenti effectus; & quidem si infirmitas ex operatione dæmonis provenerit, sanitas erit effectus Sacramenti per se directe & ex opere operato: Quando autem infirmitas fuit naturalis, tunc sanitas est effectus conditionatus quasi ex opere operato. 61

§. II.

De necessitate seu præcepto hujus Sacramenti, ejusque iteratione.

Resolutio I. Parochi jure divino & Ecclesiastico extremam unctionem infirmis postulantibus, etiam tempore pestis & cum periculo propriæ vitæ administrare obligantur. 66

Resolutio II. Fideles in periculosa infirmitate jure naturali, divino & Ecclesiastico extremæ unctionis Sacramentum suscipere tenentur. 71

Resolutio III. Hoc Sacramentum iterari potest, si infirmi post susceptam unctionem convaluerint, ac denuo in novum vitæ discrimen inciderint. 74

DE

DE SACRAMENTO ORDINIS.

CAPUT I.

De Exiſtentia, Eſſentia & numero ordinum.

§. I.

De Sacramenti ordinis exiſtentia.

Reſolutio. Sacra ordinatio verum eſt N. L. Sacramentum. 81

§. II.

De numero SS. Ordinum.

Reſolutio I. Septem ab antiquo jam ſunt in Eccleſia Latina ordines, Sacerdotes, Diaconi, Subdiaconi, Acolythi, Exorciſtæ, Lectores, Oſtiarii. 95

Reſolutio II. In Eccleſia Græca Acolythorum, Exorciſtarum & Janitorum ordines nunquam exſtitiſſe videntur, & adhuc hodie inter ordines ſolum numerantur Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, & Lectores. 96

Reſolutio III. Probabile eſt, Subdiaconatum & ordines minores vera non eſſe Sacramenta. 103

§. III.

De materia & forma Sacramenti Ordinis.

Resolutio I. In Sacramenti Ordinis administratione semper adhibita fuit quædam materia & forma. 114

Resolutio II. Materia essentialis SS. ordinum, qui sunt Sacramenta, est sola manuum impositio. Porrectio instrumentorum materia integrans dici potest, ex præcepto Ecclesiæ instituta. 116

CAPUT II.

De Ministro, subjecto, & effectu S. Ordinationis.

§. I.

De Ministro S. Ordinationis.

Resolutio I. Ordinarius hujus Sacramenti Minister est solus Episcopus. 126

Resolutio II. Ordinum minorum & Subdiaconatus Minister extraordinarius etiam simplex Sacerdos de concessione Ecclesiæ esse valet. 131

§. II.

De subjecto hujus Sacramenti.

Resolutio I. Ordinationis validæ subjectum est solus mas, & quidem baptizatus. 134

Resolutio II. Episcopus valide ordinari non potest, qui prius non fuerit sacerdotio inaugu-

auguratus: quamvis Presbyteratus valide videatur conferri, non præmiſſis ordinibus reliquis. 139

Reſolutio III. Subjectum ordinationis validæ ſunt etiam uſu rationis deſtituti, ſive propter infantiam, ſive propter amentiam. Qui autem uſu rationis pollent, inviti & contra ſuam intentionem valide non ordinantur.

§. III.

De effectu Sacramenti ordinis.

Reſolutio. Character S. ordinatione legitima collatus perſeverat indelebilis & inamiſſibilis in omnibus, utcunque improbis, hæreticis, Simoniacis, intruſis, invaſoribus, ſchismaticis, depoſitis, excommunicatis, degradatis, ita ut tales Epiſcopi ordines etiam valide conferant. 146

§. IV.

De Continentia, ſeu cælibatu Clericorum.

Reſolutio I. Non exſtat Chriſti præceptum de Clericorum cœlibatu. 161

Reſolutio II. Ex Eccleſiæ diſciplina prioribus ſæculis nec Clericis majoribus, nec Subdiaconis licuit poſt ordinationem ducere uxores. ibid.

Reſolutio III. Epiſcopis nec in oriente, nec in occidente unquam licuit uti conjugio ante ordinationem contracto. 162

Reſo-

Resolutio IV. In utraque Ecclesia sex prioribus sæculis Presbyteris & Diaconis permissus non erat usus conjugii ante ordinationem contracti. ibid.

Resolutio V. Post sæculum VI. apud Græcos solis Episcopis, non autem aliis etiam majoribus Clericis, usus conjugii antea contracti fuit interdictus. 164

Resolutio VI. In Ecclesia Latina post sæculum VI. ad continentiæ legem semper erant adstricti Clerici majores: præscindendo a Subdiaconis. 165

Resolutio VII. De Subdiaconorum cælibatu varia fuit Ecclesiæ disciplina. 166

Resolutio VIII. Cælibatus Clericorum non oritur solum ex lege Ecclesiastica, sed magis ex voto ordinandorum saltem tacito; cum secus ad ordinem nullus admitteretur. 167

CAPUT III.

De ordinibus in specie.

§. 1.

De Episcopatu.

Resolutio I. Episcopi divino jure a Presbyteris distinguuntur, hosque antecellunt. 176

Resolutio II. Episcopatus est ordo & Sacramentum a Presbyteratu adæquate distinctum. 191

Reso-

Resolutio III. Materia Episcopatus nec est impositio codicis Evangeliorum, nec unctio, sed sola manuum impositio. 195

Resolutio IV. Forma ordinationis Episcopalis non consistit 1. in his verbis: *accipe Spiritum S.* 2. Nec in verbis, quæ unctionem vel traditionem instrumentorum comitantur. 3. Nec apud Græcos in illis verbis: *divina gratia promovet N. in Episcopum.* 4. Sed in precibus, quas Episcopus consecrator fundit super ordinandum. 196

Resolutio V. De præcepto Ecclesiæ tres requiruntur Episcopi ad ordinandum Episcopum: quamvis ad valorem unus sufficiat. 199

§. II.

De Chorepiscopis.

Resolutio. Chorepiscopi per se & vi suæ ordinationis meri erant Presbyteri: quamvis non raro per accidens Episcopali charactere fuerint insigniti. 205

§. III.

De Presbyteratu.

Resolutio I. Sola manus impositio, & quidem *secunda*, est materia essentialis Presbyteratus in utraque Ecclesia. 222

Reso-

Resolutio II. Forma Presbyteratus non consistit 1. in his verbis: *accipe potestatem offerre sacrificium* &c. 2. Nec in illis: *accipe Spiritum S.* Sed 3. in orationibus, quae secundam manuum impositionem comitantur. 223

§. IV.

De Diaconatu.

Resolutio I. Diaconatus est verum novae legis Sacramentum, contra DURANDUM & CAJETANUM. 225

Resolutio II. Materia Diaconatus essentialis 1. non est traditio libri Evangeliorum. 2. Nec stola: 3. Nec dalmatica: sed 4. sola manus impositio. 229

Resolutio III. Forma Diaconatus sunt preces impositionem manuum comitantes, non autem illa verba solitarie sumta: *accipe Spiritum S. ad robur* &c. 230

Resolutio IV. Materia Subdiaconatus est calicis vacui & patenae itidem vacuae traditio, non vero 2. urceoli, vel 3. codex epistolarum, vel 4. amictus. 5. Forma consistit in verbis, traditionem calicis &c. comitantibus. 231

Ritus ordinationis in Ecclesia orientali saeculo II. usitatus, e libro VIII. constitutionum Apostolicarum editionis COTELERII desumtus. 234

Sacra-

Sacrarum ordinationum ritus Græcus ex antiquiſſimo nongentorum annorum codice a MORINO de SS. ordinationibus Parte II. pag. 52. edit. Antverp. deſcriptus. 246

Ritus S. Ordinationis in Eccleſia Latina a ſæculo IV. uſitatus, e Concilio Carthaginenſi IV. anno 398. cui S. AUGUSTINUS interfuit & ſubſcripſit, depromtus. 258

Sacrarum Ordinationum Ritus ex antiquiſſimo & venerando XII. ſæculorum codice Petaviano decerptus, apud MORINUM de ſacris ordinat. pag. 212. edit. Antverp. 263

DE MATRIMONIO.

CAPUT I.

De Matrimonio in ratione contractus conſiderato.

§. I.

De eſſentia contractus Matrimonii.

Reſolutio. Eſſentia Matrimonii non conſiſtit in conjunctione corporum, ſed animorum. 284

§. II.

De honeſtate, inſtitutione & præcepto Matrimonii.

Reſolutio I. Nuptiæ legitime contractæ, hone-

honeſtæ ſunt & licitæ, atque a Deo inſtitutæ. 291

Reſolutio II. Nuptiæ toti humano generi præceptæ ſunt, nimirum ut aliqui ſint, qui genus humanum propagent: aucto jam autem humano genere nubere vel continere *per* ſe loquendo cuique liberum eſt. 296

§. II.

De Polygamia ſimultanea.

Reſolutio I. Polygamia ſimultanea jure divino poſitivo interdicta eſt, in quo tamen Deus cum Patriarchis poſt diluvium diſpenſavit. 299

Reſolutio II. Polygamia ſimultanea de novo per Chriſtum omnibus interdicta fuit. 306

Reſolutio III. Polygamia ſimultanea non quidem primario, ſed ſecundariis matrimonii finibus repugnare videtur. 309

Reſolutio IV. Nullo jure permiſſus eſt promiſcuus cum mulieribus concubitus, ſeu damnata eſt mulierum communitas. 316

§. IV.

De Polygamia ſucceſſiva.

Reſolutio I. Nec irritæ, nec *per ſe* illicitæ

tæ

tæ ſunt ſecundæ nuptiæ, ſeu Polygamia ſucceſſiva. 321

Reſolutio II. In quibusdam Eccleſiis orientalibus bigamia, & a fortiori trigamia &c. interdicta erat. 325

§. V.

De indiſſolubili Matrimonii vinculo.

Reſolutio I. Matrimonium *ratum*, nondum conſummatum, dirimitur quoad vinculum per ſolennem alterius conjugum in approbata Religione profeſſionem. 330

Reſolutio II. Matrimonium conſummatum jure naturali & poſitivo indiſſolubile eſt. 332

Reſolutio III. Matrimonium conſummatum infidelium ſolvitur quoad vinculum, quando alteruter Religionem Chriſtianam amplectitur. 334

Reſolutio IV. Quando conjux infidelis conſentit pacifice & ſine contumelia creatoris cohabitare converſo, valet quidem divortium, & ſolvitur vinculum per matrimonium cum altero: peccat tamen contra charitatem, qui conſortem dimittit. 335

Reſolutio V. Per libellum repudii non ſolvebatur vinculum matrimonii Judæorum. 336

Resolutio VI. In lege Evangelica nec adulterio, nec alia de causa solvitur matrimonii consummati vinculum. 341

Resolutio VII. Matrimonium consummatum licite solvi potest quoad thorum & mensam, salvo manente vinculo, idque ob plures causas. 347

CAPUT II.

De MATRIMONIO in ratione SACRAMENTI considerato.

§. I.

An Matrimonium sit verum N. L. Sacramentum, & quando institutum.

Resolutio I. Matrimonium in nova lege est verum Sacramentum, ex institutione Christi gratiæ collativum. 351

Resolutio II. Christus matrimonium ad dignitatem Sacramenti elevavit, quando nuptiis in Cana Galileæ interfuit. 357

§. II.

De Ministro Sacramenti Matrimonii, hujusque materia & forma.

Argumenta eorum, qui contrahentes dicunt esse ministros. 359
Rationes eorum, qui ministrum statuunt esse Sacerdotem. 367

§. III.

An ratio Sacramenti a contractu matrimonii inter fideles separari valeat?

Resolutio. Inter Christianos valide contrahi potest matrimonium in ratione solius contractus, quin habeat rationem contractus. 374

§. IV.

An soli Ecclesiasticæ potestati, non autem laicæ competat jus impedimenta matrimonii dirimentia statuendi.

Resolutio I. Soli Ecclesiæ, non autem potestati sæculari, competit jus statuendi impedimenta dirimentia, & dijudicandi causas matrimoniales. 378
Resolutio II. De matrimonio infidelium, aut etiam de effectu civili matrimonii Christianorum, judicium competit Magistratibus laicis. 385
Resolutio III. Jus statuendi impedimenta dirimentia nunc est reservatum soli Romano Pontifici, aut Concilio generali. 386

§. V.

De matrimoniis hæreticorum.

Resolutio. Matrimonia Protestantium absente Parocho & testibus iis in locis contracta, ubi Concilium Tridentinum aliquando promulgatum, sed nunquam receptum, aut contraria consuetudine abrogatum fuit, probabilius valent in ratione contractus: si modo aliud non obstet impedimentum, saltem jure naturæ aut divino dirimens. 390

PRÆ-

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

Hoc Sacramentum, ut nonnulli appellant, *exeuntium*, morituris plerumque cum pœnitentia & Euchariſtia adminiſtrari ſolet, diciturque *extrema* unctio, eoquod ultimum fere ſit remedium, quo ad agonem & luctam Chriſti athletæ unguntur. Græci illud vocant εὐχέλαιον oleum ſanctum, ſeu unctionem precibus junctam, quod apprime reſpondet verbis JACOBI Apoſtoli, qui & unctionem infirmi, & orationem Presbyterorum ſuper eum fundendam commemorat.

Definiri autem poteſt, quod ſit Sacramentum novæ Legis, homini ægrotanti ad morbi incommoda perferenda ſpecialia auxilia tribuens, peccata, eorumque reliquias abſtergens, ipſamque corporis, ſi animæ ſaluti expedierit, ſanitatem reſtituens. Per tria capita complectar, quæ de hoc Sacramento ſummatim ſcienda ſunt. I. De illius exiſtentia, inſtitutione, materia & forma. II. De Miniſtro & ſubjecto. III. De effectu & neceſſitate: ſeu præcepto.

CAPUT I.

DE EXISTENTIA, INSTITUTIONE, MATERIA, ET FORMA SACRAMENTI EXTREMÆ UNCTIONIS.

§. 1.

De Exiſtentia Sacramenti hujus & inſtitutione.

1 Primi omnium, qui extremam unctionem e Sacramentorum albo expunxerunt, fuere Lutherus, & Calvinus, quamvis inter Sacramentalia numeraverint, & Apoſtolos eam unctionem pro conferenda ſanitate corporis adhibuiſſe, non ierint inficias. Quidam in hoc errore præceſſiſſe autumant Waldenses, Wiclefum, & Hussum.

Atvero quamvis *illi* quidpiam circa hoc Sacramentum improbaverint, nempe quod adhi-

adhibeantur plures Presbyteri, ſicque divitibus tantum adminiſtretur, iſti autem illius uſum parum curaverint, ut ex auctoribus fide dignis probat Bossuetus Hiſt. variat. & ex eo Habert, Juenin, & Berti, aliique, ipſum tamen Sacramentum quoad ſubſtantiam non rejecerunt. Igitur contra Proteſtantes ſit

Resolutio I. Extrema unctio eſt verum novæ Legis Sacramentum. ita Tridentinum Seſſ. XIV. doctrina de E. U. Cap. 1. & Can. 1. 2

Prob I. Tria, fatentibus Proteſtantibus, requiruntur ad verum novæ legis Sacramentum: 1. ſignum ſenſibile, 2. promiſſio gratiæ, 3. divina inſtitutio, ſeu mandatum. Atqui in extrema unctione iſta omnia concurrunt: ergo. *min.* probatur. Jacobi Cap. V. legitur: *Infirmatur quis ex vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratione fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & ſi in peccatis fuerit remittentur ei.* Habetur hic 1. ſignum ſenſibile, nempe unctio olei. Habetur 2. promiſſio gratiæ, nempe alleviatio, & remiſſio peccatorum. Habetur etiam mandatum divinum: *inducat* &c. Quod non Jacobus juſſit, ſed ut a Domino mandatum promulgavit. Nec enim Jacobus potuiſſet oleum elevare ad producendam gratiam.

3 Quamvis autem LUTHERUS epiſtolam JACOBI velut *ſtramineam*, nec Apoſtolico ſpiritu dignam inter canonicas ſcripturas quondam numerare noluerit, eoquod ſuo errori de *ſola* fide juſtificante è diametro oppoſitam cerneret, hodie tamen Lutherani, præeunte CALVINO, qui eam velut *auream* commendabat (ita inter ſe concordabant duo novi Evangeliſtæ) canoni ſuo inſertam tenent, ut videre eſt apud D. Joan. Erneſt. SCHUBERT, theologum Helmſtadienſem in *Introductione in Theologiam Revelatam* §. 254. Ideoque pondere hujus argumenti oppreſſi reſpondent cum eodem Theologo in *Theol. Polemica* P. II. §. 94. Reſp. I. „ Duæ actiones a Jacobo præcipiuntur, oratio & unctio, quæ & *ſeparatim* & *in conjunctione* conſiderari poſſunt. Et ſic etiam duo effectus promittuntur, ſanatio & remiſſio peccatorum. Poſterior eſt ſpiritualis, & a ſola oratione dependet. Nullibi enim exſtat, unctione precibus addita impetrari peccatorum remiſſionem. Prior autem eſt corporalis, & dependet ab unctione, ad quam accedebat oratio. Cum ergo utramque actionem adeſſe oporteret, ſi foret Sacramentum, compoſitæ autem actionis, ut talis, effectus non ſit remiſſio peccatorum, ſed ſanatio, neque hæc actio habet promiſſionem ſpiritualem. „ ita ille ad verbum.

4 Mira plane hæc eſt S. Scripturæ interpretatio, quæ ut veritate, ita luce caret. Jacobus duplicem actionem, unctionem videli-

delicet, & junctam ei orationem præcipit, & duplicem effectum promittit, corporis ſanationem, & peccatorum remiſſionem. Ergo falſum eſt, quod ſcribit, *nullibi exſtare, unctione precibus addita impetrari peccatorum remiſſionem*, quando id totidem verbis apud Jacobum clare expreſſum legitur. Falſum quoque eſt, quod ſanatio corporis *ſoli* unctioni, & peccatorum remiſſio *ſoli* orationi attribuenda ſit; utraque enim conjuncta præcipitur, & utraque promittitur.

Reſpondet idem Author 2. Mandatum ungendi non fuiſſe univerſale, ſed ad illos tantum pertinuiſſe, qui dono miracula perpetrandi inſtructi erant. Simile enim quid feciſſe legimus Apoſtolos, a Domino miſſos, ut Evangelium prædicarent, & miraculis confirmarent. Marci VI. 13. Quare poſtquam dona iſta deſierunt, ceſſavit quoque mandatum & promiſſio.

Contra eſt I. Ex Jacobi præcepto non quilibet e plebe fidelis, ſed *Presbyteri Eccleſiæ* introducendi erant, neque ulla ratione vero ſimile eſt, hos *ſolos* dono patrandi miracula fuiſſe inſtructos; cum ex *Joëlis* vaticinio ſuper omnem carnem effundendus fuerit ſpiritus, & prophetare debuerint filii ac filiæ, juvenes & ſeniores, ſervi & ancillæ, ut commemorat Apoſtolus PETRUS Actor. II. 16. ſeq. & ſecundum PAULUM 1. Corinth. XII. 4. multiplices fuerint gratiarum, quas gratis datas appellamus, diviſiones, ita; ut

alii quidem per ſpiritum datus fuerit ſermo Sapientiæ, alii gratia ſanitatum, alii operatio Virtutum &c. ſine omni reſpectu ad ætatem vel ſexum. Cum ergo Jacobus ſolos *Presbyteros Eccleſiæ* ad hanc actionem adhibendos eſſe mandaverit; utique non ad donum miraculorum, plerisque tunc fidelibus commune, reſpexit.

6 *Contra* eſt II. Quod unctio Apoſtolorum a Marco commemorata non fuerit Sacramentum, utpote tunc nondum inſtitutum, facile largimur; inde tamen nequaquam ſequitur, iſtam a Jacobo promulgatam pariter Sacramentum non eſſe. Illa enim tres conditiones, ad rationem Sacramenti a Proteſtantibus requiſitas, non habuit; cum & Apoſtoli nondum fuerint ordinati miniſtri, neque orationem adjunxiſſe legantur.

7 *Contra* eſt III. Eccleſia Ritum illum religioſe retinuit, etiam poſtquam gratia miraculorum dudum ceſſaverat; quoniam Apoſtoli præceptum generale eſt, nullis temporum circumſtantiis limitatum: ergo nequaquam exiſtimavit, promiſſos effectus gratiæ extraordinariæ eſſe adſcribendos, & præceptum ſolum ad breve tempus datum fuiſſe.

8 Reſpondet idem theologus Lutheranus 3. Morem tamen utiliter retinuit Eccleſia, etiamſi non ſequeretur effectus. Salutari enim recordationi donorum extraordinariorum, quæ olim viguerant in Eccleſia, inſerviebat. Ex eadem cauſa retentus eſt exorciſmus

ciſmus, licet poteſtas ejiciendi dæmonia deſiiſſet. Poſtquam autem unctio iſta in ſuperſtitionem abiit, merito a nobis omittitur.

Contra eſt I. Etiamſi non ſemper & ad oculum ſequatur totus effectus Sacramenti, id eſt, reconvaleſcentia, qui forte non raro impeditur ob defectum vivæ fidei & diſpoſitionis in pœnitente, falſum eſt tamen, non ſequi alterum effectum inviſibilem, qui eſt alleviatio, propulſatio inſidiarum diabolicarum, & peccatorum remiſſio. Falſum quoque eſt, quod ob ſolam recordationem priorum chariſmatum Vetus Eccleſia hunc ritum *retinuerit;* ſed id fecit ob ſolum præceptum divinum ab Apoſtolo promulgatum.

Quod poteſtas ejiciendi dæmones inter Lutheranos deſierit, imo nunquam inter eos viguerit, nemo noſtrum negat; novimus enim, quam male ceſſerit Luthero, dæmonem ex energumeno pellere tentanti. Quodſi tamen Vir eruditus non omnem hiſtoricam fidem evertere voluerit, negare non poterit, dudum poſt Apoſtolorum tempora illam in dæmones poteſtatem in Eccleſia Romano-Catholica viguiſſe, a multis Viris ſanctis exercitam.

Contra eſt II. Quænam autem eſt illa 9
ſuperſtitio, in quam degeneraſſe fingit noſtram unctionem; quando nihil aliud agimus, quam quod Jacobus faciendum promulgavit? Debuiſſent Lutherani ſuperſtitionem, ſi

qua ſubrepſiſſet, eliminare, & non ipſum Sacramentum evertere, atque infantem cum balneo effundere.

10 *Prob. II.* Traditione SS. PP. Quamvis autem non adeo frequens hujus Sacramenti occurrat memoria in PP. priorum Operibus, nullibi tamen extremam unctionem Sacramentum eſſe negarunt, imo ſub nomine Poenitentiae, cui plerumque conjungi ſolebat, tamquam ejus complementum ſubintellexerunt.

Ita ſaeculo III. Origenes poſtquam varios modos recenſuerat, quibus in nova lege, abolitis jam priſtinis ſacrificiis, veniam peccatorum conſequimur, hunc in modum diſcurrit Homil. II. in Leviticum. n. 4. Tom. II. operum edit. Benedictinae pag. 191. „ Eſt adhuc & ſeptima, licet dura & laborioſa, per poenitentiam remiſſio peccatorum, cum lavat peccator in lacrymis ſtratum ſuum, & fiunt ei lacrymae ſuae panes die ac nocte, & cum non erubeſcit Sacerdoti Domini indicare peccatum ſuum, & quaerere medicinam, ſecundum eum, quit ait: Pſalm. 31. 5. *Dixi, pronuntiabo adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem cordis mei.* In quo impletur illud, quod Jacobus Apoſtolus dicit: *Si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Eccleſiae, & imponant ei manus* (impoſitionem manuum pro oratione hic accipit Origenes, haec verba ex memoria recitans)

„ citans) *ungentes eum oleo in nomine Domi-* „ *ni, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & ſi* „ *in peccatis fuerit, remittentur ei.* „ Duplicem ritum diſtinctum ſub eodem numero hic complectitur Origenes, & geminum peccata remittendi modum. I. Per confeſſionem Sacerdoti rubore depoſito factam. II. Per unctionem & orationem Presbyterorum ſuper infirmum fuſam. Igitur illo ſæculo moris erat, ægrotanti una cum pœnitentiæ Sacramento etiam unctionem Jacobæam adminiſtrandi.

Omiſſo, quod e ſæculo IV. proferre poſ- 11
ſem S. Joannis Chryſoſtomi teſtimonio, qui *Lib. III. de* Sacerdotio ex iisdem Jacobi verbis poteſtatem peccata condonandi Sacerdotibus aſſerit, multo clarius illud eſt Innocentii I. ad initium ſæculi V. anno circiter 402.

Interrogatus enim a Decentio Epiſcopo Eugubino: 1. an Jacobi verba de ſolis infirmis, an etiam ſanis eſſent intelligenda. 2. *An* illa unctio non ſolum a Presbyteris, ſed etiam ab Epiſcopis fieri poſſet. 3. Utrum Chriſtianus quisque in ſua aut ſuorum neceſſitate oleo iſto uti poſſet. 4. An etiam fidelibus in publica pœnitentia conſtitutis olei unctio adminiſtrari poſſet? Reſpondit ad ſingula S. Pontifex Epiſt. I. n. 8. Tom. III. Concil. noviſſ. edit. Manſianæ col. 1031. *Ad* I. „ Quod (teſtimonium Jacobi) non „ eſt dubium, de fidelibus ægrotantibus ac-

„ cipi vel intelligi debere, qui ſancto oleo „ chriſmatis (non illo pro confirmatione adhiberi ſolito) perungi poſſunt, quo ab E„ piſcopo confecto non ſolum Sacerdotibus, „ ſed (Ad III.) omnibus uti Chriſtianis li„ cet in ſua aut ſuorum neceſſitate inungen„ do. Ad II. Cæterum illud ſuperflue vi„ demus adjectum, ut de Epiſcopo ambi„ gatur, quod Presbyteris licere non dubium „ eſt. Nam idcirco de Presbyteris dictum „ eſt, quia Epiſcopi occupationibus aliis im„ pediti, ad omnes languidos ire non poſ„ ſunt. Ceterum, ſi Epiſcopus aut poteſt, „ aut dignum ducit, aliquem a ſe viſitan„ dum, & benedicere, & tangere chriſma„ te ſine cunctatione poteſt, cujus (in Ec„ cleſia latina) eſt ipſum chriſma conficere. „ Ad IV. Pœnitentibus iſtud infundi non „ poteſt, quia genus eſt Sacramenti. Nam „ quibus reliqua Sacramenta negantur, quo„ modo unum genus putatur poſſe conce„ di? „ Ex his ultimis verbis, ut per tranſitum moneam, denuo firmari videtur illorum opinio, qui peccatoribus nonnullis de pœnitentia parum ſolicitis, atque infirmitate repentina oppreſſis Sacramentorum copiam olim negatam fuiſſe, haud ſine gravibus momentis arbitrantur. Sed ad præſentem ſcopum id præcipue ex inſigni iſthoc teſtimonio evincitur, ſæculi V. initio, utique e traditione & conſtanti uſu præcedentium ſæculorum, notiſſimum fuiſſe uſum hujus unctionis, a Jacobo commemoratæ, eamque

que in Sacramentorum numero computatam, ac non nisi de accidentoriis quibusdam quæstionem motam fuisse: quam facile utique DECENTIUS ipse resolvisset, sed majoris ponderis ergo primæ sedis Judicio terminandam subjicere voluit.

Eandem Traditionem pro sæculo VI. fir- 12
mat non solum Sacramentarium S. GREGORII M. ubi pro feria V. cœnæ Domini ritus benedicendi oleum infirmorum, illudque administrandi describitur, apud JUENINUM commentario de Sacramentis Dissert. VII. Quæst. II. legendus. Eodem sæculo Extremæ unctionis usus legitur in vita S. TRESANI *Presbyteri*, de quo apud BOLLANDUM in *actis SS.* ad diem 7. Februar. hæc leguntur: „ Oleum sanctæ reconciliationis accepit, & „ cum cordis intima contritione & humilita„ te suscepit. Confortans itaque fratres - - - „ quæ postquam explevit, viaticum pe„ tiit. „

Sæculo VII. Traditionis hujus testes plu- 13
res proferre valeo, atque primum quidem THEODORUM Archiepiscopum Cantuariensem, e cujus libro Pœnitentiali sequentia excerpsit Ivo Carnatensis. „ Ab infirmis in „ periculo mortis positis pura est inqui„ renda confessio peccatorum, non tamen „ illis imponenda est quantitas Pœnitentiæ, „ sed innotescendo: (insinuando, quænam sanis imponenda, & ab iis peragenda fuisset) „ & cum amicorum orationibus & eleemo-

syna-

„ ſynarum ſtudiis pondus pœnitentiæ ſuble-
„ vandum, ſi forte migraverint, ne obliga-
„ ti, & communione & conſortio veniæ
„ fiant alieni. A quo periculo ſi divinitus
„ ereptus convaluerit, pœnitentiæ modum
„ ſibi a Sacerdote impoſitum diligenter ob-
„ ſervet, & ideo ſecundum auctoritatem
„ canonicam, ne illis janua pietatis clauſa
„ videatur, orationibus & conſolationibus
„ Eccleſiaſticis *Sacra unctione olei inuncti* ſe-
„ cundum ſtatuta ſanctorum Patrum, com-
„ munione viatici reficiantur. „

Alterum ſiſto S. Eligium Epiſcopum Noviomenſem, cujus frequens hæc erat ad plebem ſuam adhortatio, teſte Audoeno Rothomagenſi Epiſcopo in ejus vita apud Lucam d'Achery Tom. V. ſpicilegii: „ Quoties
„ aliqua infirmitas ſupervenerit, non quæ-
„ rantur - - - divini (Divinatores) non
„ ſortilegi, nec per fontes aut arbores, vel
„ bivios diabolica phylacteria exerceantur;
„ ſed qui ægrotat, in ſola Dei miſericordia
„ confidat, & Euchariſtiam corporis & ſan-
„ guinis Chriſti cum fide ac devotione acci-
„ piat, *oleumque benedictum fideliter ab Eccleſia*
„ *petat*. unde corpus ſuum in nomine Chri-
„ ſti ungat; (ungi faciat) & ſecundum A-
„ poſtolum *oratio fidei ſalvabit infirmum, &*
„ *alleviabit eum Dominus;* & non ſolum
„ corporis, ſed etiam animæ ſanitatem re-
„ cipiet. „ Tertia hujus ſæculi pro Sacramenti iſtius uſu teſtis ſit S. Hunegundis, de qua Surius in ejus vita ad diem 25. Aug.

cap.

cap. 14. ſcribit: „ At illa converſa ad eos,
„ qui illic aſſiſtebant, Presbyteros, ſacræ
„ unctionis oleum, & Euchariſtiam ſibi pe-
„ tiit miniſtrari. „

Sæculo IX. Plura proſtant, eademque 14
invicta traditionis iſtius monumenta. In
Capitularibus CAROLI M. Ab Anſegiſo Ab-
bate, & Benedicto Levita collectis in corpo-
re Juris germanici a D. Petro *Georgiſch* edi-
to, ita ſtatutum legitur Lib. VI. cap. 72.
„ Ut Clerici vel Laici phylacteria vel falſas
„ ſcriptiones aut ligaturas, quæ impruden-
„ tes pro febribus aut aliis peſtibus adjuva-
„ re putant, nullo modo ab illis vel a quo-
„ quam Chriſtiano fiant, ſed pro infirmita-
„ *te illud*, quod Apoſtoli & canones ſanxe-
„ runt, id eſt orationes, & ſacri olei un-
„ ctio fiat. „ Et eodem lib. cap. 75. „ Si
„ infirmitate depreſſus quis fuerit, vitam ſi-
„ ne communione non finiat; nec unctione
„ ſacrati olei careat. Et ſi finem perſpiciat,
„ ſacroſancto corpore Deo anima ejus a Sa-
„ cerdote precibus commendetur. „ Item
„ *Lib.* I. Cap. 156. „ Ut Presbyter in cœ-
„ na Domini duas ampullas ſecum deferat,
„ unam ad chriſma, alteram ad oleum ad
„ catechumenos inungendos vel infirmos
„ juxta ſententiam Apoſtolicam, ut quando
„ quis infirmatur &c. „ Idem repetitur
Lib. 5. Cap. 58. & Lib. VII. Cap. 132. De-
cernitur, „ de infirmis & pœnitentibus, ut
„ morientes ſine ſacrati olei unctione & re-
„ conciliatione, atque viatico non tranſeant. „
Deni-

Denique in additione Tertia ad Capitularia cap. 68. ſtatuitur: „ Secundum beati „ Jacobi Apoſtoli documentum, cui etiam „ decreta Patrum conſonant, infirmi oleo, „ quod ab Epiſcopis benedicitur, a Presby- „ teris ungi debent. Sic enim ait: *infirma-* „ *tur quis* &c. Non eſt itaque parvi penden- „ da hujusmodi medicina, quæ animæ cor- „ porisque medetur languoribus. „ Eadem fere verba leguntur in Concilio CABILONENSI, an. 813. celebrato Can. 48. In AQUIS GRANENSI de an. 836. can. 5. „ Si „ autem infirmitate depreſſus fuerit, ne con- „ feſſione atque oratione Sacerdotali, nec „ non unctione ſacrati olei per ejus (Pres- „ byteri) negligentiam careat. Denique ſi „ finem urgentem conſpexerit, commendet „ animam Chriſtianam Domino Deo ſuo, „ more Sacerdotali cum acceptione S. com- „ munionis &c. „ Hic tria conjuncta leguntur Sacramenta, morituris dari ſolita; abſolutionis poſt confeſſionem, extremæ unctionis, & ſacri viatici Euchariſtiæ, quæ etiam commemorantur in Concilio MOGUNTINO de anno 845. ubi cap. 26. ita decernitur: „ Ab infirmis in mortis Articulo poſitis a „ Presbyteris pura inquirenda eſt confeſſio: „ Et ideo ſecundum canonicam auctorita- „ tem, ne illis janua pietatis clauſa videa- „ tur, orationibus & conſolationibus Eccleſia- „ ſticis ſacra cum unctione Dei animati, ſe- „ cundum ſtatuta SS. Patrum communione „ viatici reficiantur. „ Quoniam vero iſto

jam

jam ſæculo quidam irrepſerat Sacramenti hujus neglectus, ideo Concilium Ticinense, anno 850. convocatum eum removere volens, cap. 8. ſtatuit: „ Illud quoque Sacra- „ mentum, quod commendat Jacobus Apo- „ ſtolus, dicens: *infirmatur quis* &c. ſolerti „ prædicatione populis innoteſcendum eſt: „ magnum ſane ac valde appetendum my- „ ſterium, per quod, ſi fideliter poſcitur, & „ remittuntur peccata, & conſequenter cor- „ poralis ſanitas reſtituitur. Sed quia fre- „ quenter contingit, ut ægrotus aliquis aut „ Sacramenti vim neſciat, aut minus peri- „ culoſam reputans infirmitatem, ſalutem „ ſuam operari diſſimulet, aut certe morbi „ *violentia* obliviſcatur, debet eum loci Pres- „ byter congruenter admonere, quatenus „ ad hanc ſpiritualem curam ſecundum pro- „ priæ poſſibilitatis vires vicinos quoque „ Presbyteros invitet. „

Eandem negligentiam coarguit Jonas Aurelianenſis Lib. III. Inſtitutionis laicalis cap. 14. „ Sunt item plerique, qui dum in- „ *firmantur*, aut ipſi, aut eorum parentes „ & propinqui non ſibi Presbyteros Eccle- „ ſiæ induci, ſeque ſanctificato oleo, ſecun- „ dum traditionem Apoſtolicam, & ſanctæ „ Eccleſiæ morem perungi &c. „

Sæculo X. pro Sacramenti hujus u- 15
ſu teſtis eſt Ælfricus, qui juſſu Vulfini Epiſcopi Schirburnenſis codicem canonum in Anglia anno 940. edidit, ubi leguntur ſequen-

ſequentia: „ Habebit etiam Presbyter con-
„ ſecratum oleum duplex, hoc infantibus,
„ id ægrotis præparatum: & ægrotos ſem-
„ per unget jacentes. Quidam vero ægroti
„ hoc nihili pendunt, & in ægritudine ſua
„ ſe non concedunt ungi &c. „

Auctor vitæ S. OSWALDI Epiſcopi Ebo-
racenſis anno 992. defuncti, iſtud de eodem
commemorat: „ Regreſſus in oratorium
„ convocatis fratribus, hortatur eos impen-
„ dere ſibi miniſterium ſacræ unctionis cum
„ viatico dominici corporis. „

16 Sæculo XI. De S. LEONE IX. P. M. qui
anno 1054. diem clauſit extremum, WI-
BERTUS Archidiaconus in ejus vita Lib. II.
cap. 16. refert: „ Seque intelligens vocari
„ divini reſpectus miſeratione - - - perpen-
„ dens, non diutius retinendum ſe carnis
„ ergaſtulo, decrevit, ut quoniam plures E-
„ piſcoporum, Abbatum, cæterorumque fi-
„ delium confluxerunt turbæ, eis præſenti-
„ bus inungeretur ſacri olei liquore. Super
„ quo facto exhilaratus usquequaque, muni-
„ tusque corporis & ſanguinis Domini com-
„ munione &c. „ Inter decreta, quæ eodem
labente ſæculo pro ordine S. Benedicti con-
ſcripſit LANFRANCUS Cantuarienſis, hoc et-
iam legitur cap. 23. „ Si infirmatus magis
„ ad mortem, quam ad ſalutem tendere vi-
„ deatur, & ſe petat inungi - - - facta un-
„ ctione lavet Sacerdos manus. „ Ex his
verbis recte colligit D. JUENINUS, non ad ſa-
lutem

lutem corporis, ſed animæ præprimis extremam unctionem expetitam fuiſſe; ſecus enim citius, quando infirmatus magis ad ſalutem, quam ad mortem tendere videbatur, procul dubio adminiſtranda fuiſſet.

Sæculo XII. Clariſſimum eſt teſtimonium 17
Hugonis a S. Victore, qui Tract. VI. ſentent. cap. 5. ait: „ Eſt & aliud Sacramen-„ tum, ſcilicet unctio infirmorum, quæ fit „ oleo conſecrato per Epiſcopum. „ De „ Sancto Malachia Epiſcopo Hiberniæ refert S. Bernardus Claravallenſis in ejus vita cap. 31. „ Jubet ſe ſacro oleo in-„ ungi: Exeunte conventu fratrum ut ſo-„ lenniter fieret, non ſuſtinuit, ut ad ſe a-„ ſcenderent: Ipſe deſcendit ad eos: jace-„ bat ſiquidem in domo ſuperiori: ungitur, „ & ſacro Viatico ſumto Fratrum ſe ora-„ tionibus, & Fratres commendans Deo, „ ad lectum revertitur. „

Pro reliquis ſuccedentibus ſæculis ſuperfluum foret teſtimonia conglobare; quoniam illis ſequioribus temporibus unctionem extremam in uſu fuiſſe, in dubium non revocant Adverſarii.

Prob. III. E conſenſu Eccleſiæ Græ- 18
cæ, quæ licet infauſto ſchiſmate dudum ab Eccleſia Latina ſe ſejunxerit, dogmata tamen antiquitus credita, maxime quæ ad numerum Sacramentorum attinent, in hanc usque diem retinuit, & invictum teſtimo-

nium præbet, nihil a Latinis hac in re innovatum fuisse.

In fidei professione, quam JOANNES Palæologus, Andronici II. filius, Imperator Constantinopolitanus Romæ anno 1369. edidit, inter alia apud LEONEM ALLATIUM de perpetua consensione Lib. II. cap. XVII. n. VI. col. 851. & Lib. III. cap. XVI. n. IV. col. 1256. agnoscit: „ Ad hæc credo, quemadmodum tenet & docet sancta Romana „ Ecclesia, septem esse Ecclesiastica Sacramenta - - - aliud extrema unctio, nempe Euchelæum, quod secundum doctrinam B. Jacobi Apostoli infirmis traditur. „

19 SYMEON Archiepiscopus Thessalonicensis, qui initio sæculi XV. paulo ante tempora Concilii Florentini floruit, in opere de septem Sacramentis apud D. Emmanuel SCHELSTRATENUM, in Actis orientalis Ecclesiæ contra Lutheri hæresin Tom. I. pag. 125. Euchelæum non solum legitimis Sacramentis adnumerat, sed pag. 127. hunc in modum de eo scribit: „ Oleum sanctum „ traditum est, ut sacrum mysterium, & divinæ misericordiæ figura ad redemptionem „ ac sanctificationem his concessum qui a „ peccato se convertunt. Quam ob rem & „ solutionem peccatorum præbet, & a morbis exsuscitat, & sanctificatione implet. „ Hæc autem omnia Jesus Christus Deus „ noster tradidit, & ejus divini discipuli.

Cum

„ Cum enim ex duabus rebus nos conſte-
„ mus, ex anima inquam & corpore, du-
„ pliciter & hæc nobis præbuit, qui re ve-
„ ra & ipſe duplex propter nos factus eſt,
„ cum vere Deus, & antea & poſtea eſſet, idem
„ vere homo fuit, ut gratia quidem ſpiritus no-
„ ſtras animas ſanctificet, rebus autem ſenſi-
„ bilibus, aqua, oleo, pane, potu, & reliquis
„ ſanctificatis ſpiritu ſanctificet noſtra etiam
„ corpora, atque integram præbeat ſalutem,
„ ut perfectos nos, ſicut formavit, conſti-
„ tuat. „ Idem Auctor eodem libro cap. XI. de Myſterio S. olei apud Schelſtrate pag. 132.

„ *Dicenda* pauca ſunt etiam de ſancti o-
„ *lei Sa*cramento ad redemtionem peccato-
„ rum & medicinam, & divinæ miſericor-
„ diæ conſecutionem comparato. Hoc e-
„ nim a Salvatore Apoſtolis traditum eſt,
„ ad oſtendendam divinam ergo nos bonita-
„ tem infirmitatibus noſtris compatientem, ut
„ ab Apoſtolo Jacobo Eccleſia didicit. - - -
„ Unum omnino non multiplex eſt, unum-
„ que ritum habet, & inter ſeptem Eccle-
„ ſiæ Sacramenta recenſetur. „

Græci Schismatici Venetiis degentes, a CLAUDIO Cardinale GUISANO inter alia interrogati, quot & quænam ipſi Sacramenta eſſe crederent: Reſponderunt apud SCHELSTRATEN loc. cit. pag. 139. „ Sunt omnino ſeptem, atque inter illa ultimo loco *oleum ſacrum* recenſent. Hieremias Patriar- 20

cha CP. a Theologis Wirtenbergensibus sollicitatus, ut Lutheranos in Ecclesiæ suæ communionem admitteret, transmissa eum in finem augustana confessione in græcum idioma translata, in primo ad illos responso septennarium omnino Sacramentorum numerum perpetuo in Ecclesia Catholica traditum, & in sacris litteris sancitum fuisse: de extrema autem unctione ita differit apud Schelstraten loc. cit. pag. 157. „ De „ sacro oleo hoc traditum est, ut sacer ri„ tus, & divinæ misericordiæ typus ad re„ dimendos & sanctificandos pœnitentes ad„ hiberi solitum. Ideo & animos a peccatis sol„ vit, & ab infirmitate corpora excitat, & „ sanctificatione homines implet. „

In responso autem altero, ad eosdem transmisso, hunc in modum de E. U. loquitur: „ Sacrum quoque oleum inter Sacra„ menta traditum est, ut divinæ misericor„ diæ signum, quod redemtionis & sanctifi„ cationis causa homini se a delictis & pec„ catis convertenti impertitur. Ideo etiam „ remissionem affert peccatorum, & ex in„ firmitatibus corporis erigit. De eo Jaco„ bus frater Domini sic scriptum reliquit: „ *infirmatur* &c. In tertio responso iisdem exprobrat pag. 246. quod e Sacramentis quædam admitterent, sed cum errore, quædam vero, ut E. U. ne Sacramenta quidem esse dicerent.

Ga-

GABRIEL SEVERUS Metropolita Philadelphiensis in suo de sanctis mysteriis commentario apud SCHELSTRATENUM loc. cit. E. U. non solum Sacramentis adnumerat, sed ab ipsomet Christo institutum fuisse affirmat pag. 277. & pag. 349. sed & verum Sacramentum esse probat pag. 350. „ Requi- 21
„ runtur, ait, ad Sacramentum tria, quia
„ quodlibet Sacramentum habere debet hæc
„ tria. Primum materiam extrinsecam. Se-
„ cundum ut conferat gratiam. Tertium
„ ut sit institutum a Domino. Hæc omnia
„ habet hoc Sacramentum, id est materiam
„ extrinsecam, purum oleum; ut conferat
„ gratiam, quia dimittit peccata; & quod
„ *sit* a *Domino* institutum. Quia si Domi-
„ nus non mandasset Apostolis hoc facere,
„ non unxissent ægrotos oleo, sicut dictum
„ est. „ Exponit dehinc formam, utilita-
„ tem, & finem, ac ministrum hujus Sacramenti, & per omnia Latinis consentit.

GEORGIUS Coresius, & GREGORIUS Hieromonachus in Synopsi divinorum & sacrorum Ecclesiæ dogmatum, cap. IV. *de expositione septem Sacramentorum* apud eundem SCHELSTRATEN, pag. 373. seq. nec plura nec pauciora quam septem admittunt, hujusque numeri varias rationes mysticas adferunt. Ita vero de E. U. loquuntur: „ Sa- 22
„ crum oleum instituit Christus, quando
„ misit Apostolos, ut docerent & ungerent
„ infirmos cum oleo, quod sanctus Jacobus

 „ per-

„ fecit, & confirmavit, quando in epistola
„ sua dixit &c.

23 Meletius Syrigus in refutatione dogmatum Cyrilli Lucaris, a Græcis vehementer adprobata, Articulo decimo quinto de Sacramentis pertractans, falsum esse ait, quod in novo Testamento tantum duorum Sacramentorum fiat mentio, & septem Sacramentis etiam E. U. adnumerat apud Schelstraten pag. 395.

24 *Confessio orthodoxa Ecclesiæ orientalis* P. I. interrogatione 98. non solum septem Sacramenta esse definit, & inter illa infirmorum oleum, pag. 504. sed etiam interrogat. 117. ita de eodem eloquitur: „ oleum infirmo-
„ rum, quod est ordinatum a Christo, ex
„ eo quod cum Christus mitteret discipulos
„ suos binos, ungebant multos infirmos &
„ curabantur. Quod tota Ecclesia facere
„ debebat per consuetudinem, ut constat ex
„ epistola divi Jacobi dicentis: *infirmatur* &c.
„ Debemus primo in animo habere, ut ad-
„ ministretur hoc Sacramentum a Sacerdo-
„ tibus, ad quod illud spectat, & non a quo-
„ cunque alio. Secundo, ut oleum sit pu-
„ rum sine alia mixtione, & ægrotus sit or-
„ thodoxus, ac fidei Catholicæ, & confi-
„ teatur peccata sua coram Sacerdote spiri-
„ tuali. Tertio, tempore unctionis legatur
„ oratio illa, in qua explicatur virtus hujus
„ Sacramenti. Utilitates & fructus prove-
nien-

„ nientes ab hoc Sacramento Jacobus Apo-
„ ſtolus exponit, dicens: *Remiſſio peccato-*
„ *rum, ſalus animæ, deinde ſanitas corporis,*
„ *etiamſi curatio corporis non ſemper ſequatur,*
„ *ſed remiſſio peccatorum animæ ſemper pœni-*
„ *tentem ſequitur.* „

Alia quædam circumfertur *confeſſio Catholicæ & Apoſtolicæ in oriente Eccleſiæ*, auctore Metrophane Hieromonacho, Cyrilli Lucaris amico, Helmſtadii anno 1661. edita, qui etſi cap. 5. de Sacramentis pag. 72. Tria ſolum Sacramenta NB. *ad ſalutem neceſſaria* ſtatuat, Baptisma, communionem, & Pœnitentiam, de reliquis tamen ita cenſet pag. 74. „ Præter hæc tria neceſſaria Sa- 25
„ cramenta ſunt etiam ritus aliqui myſtici,
„ & ipſi myſteria homonymice ab Eccleſia
„ appellati &c. hocque nomine complectitur S. chriſma, ordinem Sacerdotum, primas nuptias, & oleum precum, Dehinc vero toto cap. XIII. de Euchelæo, tamquam ab ipſomet Chriſto inſtituto, ejusque effectibus, & ritu illud adminiſtrandi pertractat: quæ cum longiuſcula ſint, hic prætermittere licebit, apud eundem, ſi cui lubet relegenda.

Sed & integra Synodus Græcorum Con- 26
ſtantinopolitana ſub Patriarcha Cyrillo Berrhaenſi adverſus *Cyrillum* Lucarim anno 1639. hujus errores ſequentem in modum proſcribit: apud Leonem Allatium pag. 1257. „ Cyrillo, dogmatizanti & credenti,

„ non esse septem Sacramenta Ecclesiæ, id
„ est, Baptisma, chrisma, Pœnitentiam,
„ Eucharistiam, Sacerdotium, sacrum oleum,
„ & matrimonium, juxta constitutionem
„ Christi, Apostolorum traditionem, atque
„ consuetudinem Ecclesiæ, sed mentienti,
„ non esse tradita a Christo in Evangelio,
„ nisi solum Baptisma, & Eucharistiam, ut
„ videre est in decimo quarto ejus capite,
„ Anathema. „ Et altera sub PARTHENIO,
anno 1642. adversus eundem: „ In decimo
„ quinto negat Ecclesiæ Sacramenta quin-
„ que, Sacerdotium, sanctam unctionem
„ (chrisma) sacrum oleum, confessionem
„ cum pœnitentia, & honorabiles nuptias,
„ quæ omnia ut sacra, & divinam gratiam
„ conferentia, antiqua nobis traditio reli-
„ quit. „ Apud eundem ALLATIUM loc.
cit. ubi & plura aliorum Græcorum pro ex-
trema unctione testimonia exhibentur. Deni-
que SYMEON Dyrrachy, DANIEL Varnensis,
& THEOPHANES Paronaxiæ Metropolitæ a-
pud SCHELSTRATEN pag. 655. inter Ecclesiæ
suæ dogmata cap. 5. septennarium Sacra-
mentorum numerum expresse referunt, iis-
que extremam unctionem postremo loco ac-
censent, atque ad calcem suæ confessionis
subjungunt: „ Hæc omnia capita, quæ do-
„ cuimus, testamur in veritate ea esse, quæ
„ omnes orientales Pastores, Sacerdotes,
„ Monachi, & omnis populus credit, & re-
„ cte veneratur, hocque cognovimus per ex-
„ perientiam &c. „

Ex-

Ex his autem omnibus, & quæ adferri 27 poſſent, teſtimoniis multo pluribus, manifeſtum evadit, I. CAUCUM, Archiepiſcopum Corcyrenſem, falſum Græcis errorem affinxiſſe, quando ille in recenſione errorum iſtius Eccleſiæ Schiſmaticæ apud SIMONIUM *dans l'hiſtoire critique de la creance & des coutumes des nations du levant* cap. 5. ſcripſit, illos ſeptem Eccleſiæ Sacramenta negare, & nec confirmationem, nec extremam unctionem recipere: Etiamſi haud negaverim, illos in utriusque Sacramenti adminiſtratione a ritibus Latinorum non nihil diſcrepare: quæ tamen varietas Sacramenti ſubſtantiam & dogma Catholicum non evertit. Porro ceremonias, quas in ungendo infirmo adhibent Græci, hoc modo deſcribit Leo ALLATIUS lib. de perpetua conſenſione pag. 1273.
„ Septem Sacerdotes variis invocationibus
„ oleo benedicunt: recitantur ſeptem Epi-
„ ſtolæ ex variis novi teſtamenti libris, &
„ ſeptem Evangelia, ſeptem item orationes,
„ non tantum animæ, ſed corporis etiam ſa-
„ lutem atque incolumitatem exorantem: a
„ ſingulis Sacerdotibus poſt Evangelium &
„ orationem ungitur, ut ſepties ungatur.
„ Poſt unctionem imponunt capiti illius li-
„ brum Evangeliorum & manus, & qui a-
„ liis præeſt Sacerdos legit aliam oratio-
„ nem: & poſtquam deoſculatus fuerit Ev-
„ angelium unctus, veniam peccatorum a
„ Sacerdotibus poſtulat, & ea impetrata
„ Deo gratias agit. „

Alterum vero, quod inde consequitur est, quod de perpetuo utriusque Ecclesiæ in istud dogma consensu constet, fortissimumque oriatur argumentum præscriptionis adversus Protestantes, quæ constantem traditionem evincat, & Romanenses quoad numerum Sacramentorum atque extremæ unctionis existentiam nihil innovasse, sed ab antiquis Patribus traditum fidei depositum religiose custodivisse. Quo argumento maxime usi fuerunt TERTULLIANUS, & VINCENTIUS Lirinenses adversus profanas hæreticorum novitates.

28 OBJIC. I. Si extrema unctio pro Sacramento semper habita fuisset, tunc priorum sæculorum auctores ejus saltem aliquando mentionem fecissent, atqui ne nomen quidem illius in primis sæculis occurrit, ita ut nec ipse DIONYSIUS Areopagita, qui tamen reliqua Christianorum mysteria & ritus fuse describit, Extremæ unctionis aut olei consecrationis meminerit: ergo non adest continua pro isto Sacramento traditio.

II. Saltem Sanctorum biographi opportunam occasionem habuissent, sanctos illos, quorum vitam & exitum descripserunt, ante obitum unctos fuisse commemorandi, si unctionis illius tunc usus obtinuisset: atqui altum apud illos hujusce ritus est silentium. *Ergo* &c.

RESP. ad I. nego *Maj.* Ex argumento enim *mere negativo* nihil evincitur, quando ex

ex adverſo ſtat argumentum & teſtimonium poſitivum: quale utique adeſt ex epiſtola S. Jacobi Apoſtoli. Ut autem argumentum *negativum*, e ſolo auctorum ſilentio depromtum, invicte quidpiam probaret, tunc obſervante Cl. Mabillonio, aliisque criticae artis peritis adſtipulantibus, certo nobis conſtare deberet, nulla illorum antiquorum opera periiſſe, in quibus forte ejusmodi rei facta fuit mentio, quam alibi & in operibus adhuc reſiduis prætermiſerunt. Neque etiam neceſſe eſt, ut ſinguli univerſa dogmata recenſeant, quia non ſemper ſe offert occaſio de omnibus pertractandi. Sic, ut exemplo rem illuſtrem, neque S. Justinus M. neque Dionyſius Areopagita Euchariſtiam morituris concedendam commemorant, de quo tamen nemo dubitaverit.

Resp. II. *neg. min.* Sufficit enim meminiſſe Jacobum, & quidem ſub obligatione præcepti. Dionyſium quod attinet, cum opera, quæ ejus nomine circumferuntur, non niſi ſæculo V. a quodam impoſtore ei ſuppoſita fuiſſe, adverſarii fingant, ex epiſtola autem Innocentii I. ad decentium Eugubinum, ſupra num. 11. certum ſit, extremam unctionem ubique pervulgatam & uſitatam fuiſſe: non poteſt ex unius auctoris ſilentio ad negandam rei ab aliis aſſertæ exiſtentiam concludi. Imo hic ipſe auctor, quisquis fuerit, Lib. de Eccleſ. Hierarchia cap. 4. de conſecratione S. Unguenti, quo nomine tam chriſma, quam oleum catechumeno-

menorum & infirmorum intelligi poteſt, hujus non ſolum in confirmatione, ſed etiam in aliis divinæ benignitatis operationibus uſum eſſe, indigitat. Sed dato, nullam prorſus apud Dionyſium extremæ unctionis exſtare memoriam, ratio iſta dari poteſt; quoniam ſcopus ejus fuerat, ea ſolum pertractandi, quæ ad ſolennes functiones Hierarchicas pertinent, & Pontificia conſecratione perficiuntur: cum autem olei infirmorum benedictio in oriente a Presbyteris toties peragatur, quoties infirmus ungendus eſt, hinc iſtum ritum Pontificibus non proprium, prætermittere potuit. Atvero in conſtitutionibus Apoſtolicis, quæ diſciplinam ſaltem Sæculii II. medii redolent, Lib. VIII. cap. 29. iſta occurrit benedictio olei ſub iſta forma „ da vim effectricem ſanitatis, morborum „ expultricem, dæmonum fugatricem, o- „ mnium inſidiarum profligatricem. „ Quod de oleo infirmorum haud incongrue exponi poteſt.

Resp. ad II. *diſt. min.* Non meminerunt Sacramenti hujus a morituris ſuſcepti, ſub *explicita* expreſſione unctionis, *conc.* non meminerunt ſaltem *implicite*, *neg.* cum enim iſtud Sacramentum velut complementum Pœnitentiæ fuerit, hinc omnes illos unctos fuiſſe ſupponi poteſt, de quorum pœnitentia teſtimonium apud veteres exſtat. Sicut autem e ſilentio Eucharistiæ a ſanctis morti proximis perceptæ inferri nequit, eam ab iis ſuſce-

ſuſceptam non fuiſſe; ita e ſilentio unctionis ad ejus omiſſionem aut exiſtentiam negandam non niſi inepte concluditur; cum biographi illi res notiſſimas, & quotidie apud omnes uſitatas commemorare ſupervacaneum duxerint.

Resp. II. Concedo autem, olim tam frequentem, ut hodie obtinet, E. U. uſum non fuiſſe; primo enim multi Baptismum usque ad vitæ finem differebant, ut a moleſtis pœnitentiæ laboribus eſſent immunes. Qui autem in baptismali innocentia recens conſtituti Sacramento pœnitentiæ non indigebant, illis etiam veroſimile eſt, extremam *unctionem*, ceu prioris complementum, ad*miniſtratam* non fuiſſe. II. Multi eam recipere non poterant, eoquod vel nulla præcedente infirmitate ſubitanea morte fuerint abrepti, aut copia Sacerdotis deſtituti. III. Plurimi veterum baptismalem innocentiam in adulta ætate conceſſam ad usque vitæ finem illibatam conſervabant, nec ſibi extremam unctionem tantopere neceſſariam arbitrabantur, aut ſanguine ſuo pro Chriſto effuſo leviores maculas abſterſerunt, unctionis extremæ non indigi, neque capaces, ad illam luctam in confirmatione jam uncti.

Resp. III. A vero autem prorſus abludit, veteres perceptæ a morituris extremæ unctionis nusquam meminiſſe, contrarium enim conſtat ex allegatis ſupra n. 12. ſeqq. teſtimoniis.

Objic.

29 Objic. II. S. Epiphanius hæreſi XXXVII. & S. Augustinus hæreſi XVI. infirmorum unctionem erroribus Heracleonitarum adnumerant, ubi certe occaſionem opportunam habuiſſent, de genuina Catholicorum unctione, ſi quæ tunc obtinuiſſet, diſſerendi: quod factum ab illis minime fuit. ergo.

Resp. SS. PP. non ipſam infirmorum unctionem inter errores rejiciunt, ſed formam & ritum ſuperſtitioſum, quem illi a Marco hæretico mutuatum uſurpabant, de quo ita ſcribit S. Augustinus: „ Feruntur autem ſuos morientes novo modo quaſi redimere, id eſt per oleum, balſamum & aquam, & invocationes, quas hebraicis verbis dicunt ſuper capita eorum. „ Erant autem Epiphanio teſte hæc verba: *Meſia Uphar, Egnamempſæ, Menchaldia, Naſſome, duce, Acpharan, Epſeua! Jeſu Nazaria.* Hoc autem ideo faciebant, ut qui ſub exitu vitæ talibus comprecationibus & unctione fuiſſet inſtructus, Principatibus & Poteſtatibus inviſibilis fieret, atque interior ipſorum homo ſurſum poſſet a nemine conſpectus evadere. Moriturs autem taliter unctis dicebant ubi ad Principatus & Poteſtates poſt obitum evolaveris, memento ut hæc verba proferas: *Ego filius a Patre & eo Patre, qui ante omnes exiſtit, ac præſenti tempore filius veni, ut omnia tam aliena quam privata cernerem; nec omnino tamen aliena, ſed ad Achamoth pertinentia, quæ cum*

fœmi-

fœmina ſit, ſibi iſta fabricavit. Origo porro mea eſt ab eo ducta, qui ante omnes exiſtit, eoque rurſum, unde ortus ſum, regredior. Quis jam non manibus palpat, nihil Catholicorum unctioni cum iſtis hæreticorum deliramentis commune eſſe?

OBJIC. III. Catholici ipſi inter ſe non 30
conveniunt de auctore extremæ unctionis; nam HUGO Victorinus, PETRUS Lombardus, BONAVENTURA &c. docent, fuiſſe inſtitutam a Jacobo: atqui Apoſtolus non potuit inſtituere Sacramentum proprie dictum. Non conveniunt in materia remota, dum non nulli putant, Benedictionem olei ab Epiſcopo factam ad eſſentiam Sacramenti pertinere, alii negant. Litigant de unctione una vel multiplici. Diſputant de effectu primario hujus Sacramenti, ergo ex ipſa noſtrorum diſcordia colligitur, non eſſe verum Sacramentum.

RESPOND. Catholici in hoc omnes conveniunt, unctionem extremam eſſe verum Sacramentum: de quibus litigant, ſunt ſcholæ controverſiæ, ſalva ſubſtantia dogmatis.

RESOLUTIO II. Hoc Sacramentum ab 31
ipſo Chriſto & quidem Marci VI. 13. inſinuatum, probabilius poſt reſurrectionem ab ipſomet immediate inſtitutum fuit.

Pars I. quæ eſt de fide ex Concilio TRIDENTINO, ſupponitur ex tract. de Sacramentis in genere, ubi oſtenditur, Chriſtum omnia & ſingula novæ legis Sacramenta inſtituiſſe,

ſtituiſſe, nec Apoſtolis hanc conceſſiſſe poteſtatem, ut rei ſenſibili vim producendi gratiam poſſint conferre.

Prob. II. pars. Marci loc. cit. legitur: *& ungebant oleo multos ægros, & ſanabant:* quæ quidem verba multi uſurpant de hoc Sacramento tanquam a Chriſto inſtituto, ut inter veteres Victor Antiochenus, Beda venerab. aliique. Quod etiam non improbabile aſſerunt ex Recentioribus plures, apud Berti & Juenin. ne tamen quidpiam in hoc ſcholæ controverſia definire viderentur Patres Tridentini, ſtudioſe uti voluerunt verbo *inſinuatum.* Ex quo inferri tamen poſſe videtur, Chriſtum ibi ſaltem determinaſſe materiam hujus Sacramenti, poſtea Completi inſtituendi.

32 *Prob. III.* pars. Fuiſſe probabilius inſtitutum poſt Reſurrectionem. Nam 1. hoc Sacramentum eſt quaſi completivum Sacramenti pœnitentiæ, poſt reſurrectionem inſtituti. Igitur convenientius dicitur, hoc poſt illud fuiſſe inſtitutum. 2. Hujus Sacramenti miniſtri ſunt ſacerdotes: atqui ſacerdotes conſecrati fuerunt in ultima Cœna: conſequenter ante paſſionem non fuit inſtitutum hoc Sacramentum, utpote nondum determinato miniſtro, qui illud conficeret. 3. Denique referri huc poſſent verba Leonis Magni ſerm. I. de aſcens. „ Hi dies, „ qui inter reſurrectionem aſcenſionemque „ fluxerunt, non otioſo tranſierunt decurſu, „ ſed

„ ſed magna in eis confirmata ſunt Sacra-
„ menta, magna revelata myſteria. „

Pars IV. Tum ex dictis his dum de Sacramentis in genere colligitur.

Objic. Multi inter veteres dicunt, unctionem fuiſſe inſtitutam a Chriſto Marci 6. ergo ante Paſſionem.

II. Alii dicunt Jacobum eam inſtituiſſe, ergo non inſtituit Chriſtus.

Respond. ad I. Non nego, fuiſſe quosdam ita opinatos, at nihil hac in re fuit deciſum, ipſum Concil. Trident. dicitur a non nullis antea ſcripſiſſe, *inſtitutum:* quod poſtea monentibus aliis fuit immutatum in vocem: *inſinuatum*, ne quid ſcholis præjudicaretur.

Respond. ad II. Diſt. Jacobus eam inſtituit promulgando & exequendo inſtitutionis mandatum, *Conced.* proprie inſtituendo, *neg.* quemadmodum dicitur c. 3. d. 4. *leges inſtituuntur, dum promulgantur.*

§. II.

De Materia remota & proxima hujus Sacramenti.

Præſuppoſita diſtinctione materiæ *proximæ*, & *remotæ*, hic tantum controvertitur, an benedictio olei neceſſario ab Epiſcopo fieri debeat, ut Sacramentum valeat. Item an unctio debeat eſſe quintuplex in quinque

corporis sensibus: & quæ sit rituum inter Græcos & Latinos differentia, observari operæ pretium erit.

34 Resolutio I. Materia remota unctionis est oleum olivarum: quod de præcepto in Ecclesia Latina ab Episcopo, in Græca a Presbyteris benedicitur. Quamvis hæc benedictio ad Sacramenti substantiam non sit necessaria, & etiam inter Latinos de Romanæ Ecclesiæ licentia simplici Presbytero concedi valeat.

Prob. I. pars. Oleum fuit & a Christo Marci VI. determinatum, & a Jacobo Apostolo promulgatum pro materia Sacramenti: atqui nomine *olei*, simpliciter dicti, intelligitur *olivarum;* cætera enim dicuntur olea cum addito: v. g. nucum, cariophyllorum &c. vide dicta de materia remota confirmationis. S. Thomas in supplement. q. 29. dat hujus rei rationem mysticam, quæ fere coincidit cum ea, quam profert Catechismus Romanus parte II. cap. 6. n. 5. Nam ut oleum ad mitigandos corporis dolores magnopere proficit: ita Sacramenti virtus animæ tristitiam ac dolorem minuit. Oleum præterea sanitatem restituit, hilaritatem adfert, & lumini tanquam pabulum præbet: tum vero ad recreandas defatigati corporis vires maxime accomodatum est. Quæ omnia quidem ægrotis divina virtute per hujus Sacramenti administrationem efficaciter declarant. Hæc Catechismus.

Prob. II.

Prob. II. pars. Oleum de præcepto esse ab Episcopo benedicendum in Ecclesia Latina. De hac benedictione ab Episcopo facienda loquitur INNOCENTIUS I. n. 11. cit. Sacramentarium GREGORII M. Concilium CABILONENSE Can. IIXL. Concil. Florentinum, Tridentinum, Pontificale Romanum &c. imo ut recentiora prætercam, loquitur de hac etiam Dionysius Areopagita, & constit. Apostol. locis n. 28. citatis. 35

Prob. III. pars. Ut enim ex ARCUDIO, LEONE Allatio, aliisque constat, Græci Presbyteri oleum infirmorum benedicunt: & declaravit Clemens VIII. in instructione super ritibus Græcorum, non esse cogendos Presbyteros Græcos sub Latinis degentes olea sancta præter chrisma ab Episcopis Latinis diœcesanis accipere, cum hujusmodi olea ab eis in ipsa oleorum & Sacramentorum exhibitione ex veteri vita conficiantur seu benedicantur, quod confirmavit Benedictus XIV. anno 1742. 36

Prob. IV. pars, nullo Canone, vel alio argumento probari potest, benedictionem sive ab Episcopo, sive a Presbytero factam ad Sacramenti valorem requiri; quamvis enim Concilia FLORENTINUM & TRIDENTINUM dicant, materiam hujus Sacramenti esse oleum ab Episcopo Benedictum, non tamen inde infertur, debere præcise ab Episcopo benedici, aut benedictionem ipsam Sacramenti substantiam ingredi; sed innuunt, quid fieri debeat de 37

præcepto: cum ſcholæ controverſiis, ut centies dictum, ſe noluerint immiſcere. Id quoque probatur ab inſtantia de Baptismo, cujus etiam materia dicitur aqua conſecrata: quin ipſa conſecratio ad valorem requiratur. Poſſunt hic ea recoli, quæ de benedictione chrismatis Tract. de confirmatione dicta fuerunt, nam eſt eadem ratio. Hoc unum obſervari velim, cum in materia Sacramentorum eligenda ſit ſemper ſententia tutior, nunquam adhibendum eſſe oleum ab Epiſcopo non Benedictum: quod ſi illud aliquando videatur deficere, ei, etiam ſi modicum ſuperſit, conſecrato admiſcendum eſt non conſecratum, uti habetur cap. 3. de Conſec. Eccleſiæ in decretalibus Greg. IX.

38 *Prob. V.* pars. Ex dictis in Eccleſia Græca Presbyteri benedicunt oleum, idque de conſenſu ſaltem tacito Rom. Pontificis: atqui quod Græcis licet, etiam Latinis de conceſſione ſaltem Rom. Pont. permitti poteſt. Idque maxime ex eo, quod in Latina quoque Eccleſia ſimplici Presbytero facultas ab eodem Rom. Pont. concedi poſſit benedicendi chrisma, ut oſtendi de confirmatione. Ergo multo magis benedicendi oleum, quod alias ab Epiſcopo eodem die Cœnæ Domini benedici ſolet. Et ratio, Presbytero benedictionem chrismatis concedendi, eſt prorſus eadem pro oleo infirmorum, ſi non ſit major. Imo ſi quando conceſſa fuit Miſſionariis defectu Epiſcopi facultas conſecrandi chrisma, eo ipſo videtur data fuiſſe pote-

ſtas,

ſtas, omnia illa exercendi, quæ alias in Cœna Domini facit Epiſcopus: qui enim concedit majus, etiam minus cum eodem connexum, & paris rationis concedere intelligitur. vid. Benedicti XIV. de Synodo diæceſana Lib. VII. Cap. XVI.

Quæ adverſus hanc I. Reſolut. opponi poſſunt, ſunt eadem, quæ de confirmationis materia remota, & relegi poterunt cum ſuis ſolutionibus.

Resolutio II. Proxima hujus Sacramenti materia eſt unctio quarumdam corporis ægri partium: de præcepto in Eccleſia Latina ſeptem fiunt unctiones, in oculis propter viſum, in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter guſtum, vel loquutionem, in manibus propter tactum (Sacerdotum manus unguntur exterius, non in vola, quia intus fuerunt uncti ab Epiſcopo in ordinatione, hinc videtur indecens ibidem ungi a ſimplici Presbytero. Idem obſervatum olim circa unctionem in fronte, quæ non dabatur confirmatis, ſed ungebantur tempora) in pedibus propter greſſum, in renibus propter delectationem ibidem vigentem. Ita decretum ad Armenos: quamvis unctio renum honeſtatis gratia omittatur apud fœminas. Cuilibet unctioni reſpondet forma parti ungendæ aptata, prout omnia habentur in Rituali: ad ſubſtantiam tamen Sacramenti ſufficit unica unctio cum forma univerſali. Quod 39

40 *Prob. I.* ex diversitate unctionum in variis Ecclesiis tam Latinis, quam orientalibus, ubi nunc plures, nunc pauciores inungi solent corporis partes. Sic Græci Sæculo IX. tres tantum habebant unctiones: nunc teste ARCUDIO inungunt frontem, mentum, ambas genas, pectus, manus, & pedes. In Latina Ecclesia Sacramentarium GREGORII M. præscribit unctiones quinque sensuum, quibus in Codice Abbatis Rotaldi addita legitur unctio colli, pectoris, & scapularum. Pontificale PRUDENTII Episcopi Tricassini addit etiam unctionem umbilici, seu loci, ubi plus dolor imminet. Codex Turonensis unctionem fieri mandat in genibus quoque, & in cruribus, suris, pedibus, ac plantis, & poene in omnibus membris. Plura Ritualia dioecesana permittunt, ut in necessitate, aut tempore pestis fiat unica unctio sensus magis ad unctionem expositi, vel præcipui cum forma: *per istam sanctam unctionem & piissimam suam misericordiam indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum:* vel *per sensus.* Atqui tanta diversitas non fuisset Ecclesiarum arbitrio relicta, si certus unctionum numerus ad Sacramenti valorem esset necessarius. Ergo.

41 OBJIC. contra II. Resolut. S. THOMAS q. 32. in supplemento, ait: illa unctio ab omnibus observatur, quæ fit ad. 5. sensus quasi de necessitate Sacramenti.

Resp. Ly *quaſi* indigitare non omnimodam neceſſitatem, ſed præceptum quoad licitam Sacramenti adminiſtrationem. Cum autem hac in controverſia nihil hactenus definierit Apoſtolica ſedes, in priori ſequenda eſt ſententia tutior, nec poteſt ſine peccato extra caſum neceſſitatis una ex præſcriptis in Ritualibus prætermitti. In neceſſitate ungi poſſe caput, e quo ſenſuum nervi deſcendunt, ſub forma univerſali advertit SS. PP. Benedictus XIV. de Synodo diœceſ. Lib. VIII. c. XVIII. n. 5.

§. III.

De forma Sacramenti Extremæ unctionis.

Forma, ut habetur in Ritualibus, depreca- 42 toria eſt, videturque conformis textui S. Jacobi: *inducat Presbyteros Eccleſiæ, ut orent ſuper eum, & oratio fidei ſalvabit infirmum.* Cæterum cum Chriſtus formas Sacramentorum in individuo non determinaverit; hinc diſceptatur, an omnia verba formæ, qua utitur Latina Eccleſia, pertineant ad ſubſtantiam, & num valeat etiam indicative prolata. Juenin exiſtimat, valere formam his verbis expreſſam. *Indulgeat tibi Deus.* Atque adeo hæc: *per iſtam ſanctam unctionem,* non requiri ad valorem; quia neceſſe non eſt, ut materia una cum forma exprimatur, ut patet in pœnitentiæ & ordinis Sacramen-

to: nec illa, *per ſuam piiſſimam miſericordiam* &c. utpote cum miſericordia Dei exprimatur per verbum *indulgeat:* nec requiri expreſſam invocationem ſanctiſſimae Trinitatis, cum non ſit Sacramentum fidei, nec exigat ejus profeſſionem, quemadmodum Baptismus: nec etiam expreſſionem ſenſuum, de quo tamen aliquis dubitare poſſet; cum ſine his verbis non exprimatur effectus Sacramenti, qui inter alios eſt peccatorum ſenſibus commiſſorum abſtergere reliquias. De præcepto utique omnia verba præſcripta uſurpanda ſunt, hinc inutilis diſputatio.

43 Resolutio. Olim in quibusdam Eccleſiis Latinis adhibebatur indicativa: quæ etiam hodie valet.

Prob. I. pars. In Eccleſia Mediolanenſi hæc adhibebatur formula: *ungo te oleo ſanctificato in nomine Patris, & filii, & ſpiritus ſancti, ut more militis uncti præparatus ad certamen aereas poſſis ſuperare poteſtates.* Haud multum abſimilis extat in Sacramentali Veneto a Leone X. confirmato: *ungo te oleo ſancto, ut hac unctione protectus fortiter ſtare valeas adverſus varias catervas in nomine Patris, & Filii* &c. in Pontificali Narbonenſi: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti regnantis in ſæcula ſæculorum accipe ſanitatem corporis & remiſſionem peccatorum tuorum*, aliæque, quas adducit Martene. Teſtatur etiam Albertus magnus, libros Germaniæ rituales a ſe luſtratos formam con-

continere mere indicativam. In Sacramentario Gregorii Magni indicativa cum deprecatoria conjuncta legitur his verbis: *Inungo te oleo ſanctificato, ſicut unxit Samuel in Regem & Prophetam. Operare creatura olei in nomine Dei Patris omnipotentis, ut non lateat hic ſpiritus immundus, neque in membris tuis, neque in medullis, neque in ulla compagine membrorum, ſed in te habitet virtus Chriſti altiſſimi & Spiritus ſancti per eundem* &c.

Prob. II. pars. Iisdem vere rationibus, quibus oſtendi, formam pœnitentiæ deprecativam valere, nam contrariorum eadem eſt ratio.

Nec obſtat, quod Jacobus requirat *ora-* 44
tionem, quæ dicit deprecationem; nam & indicativa forma oratio dici poteſt: ſicut forma Baptiſmi vel Euchariſtiæ quandoque a Patribus dicuntur *oratio*.

Obſtat etiam S. Thomas: cui reſponderi poteſt, eum, dum junior ſcripſit in ſententias, ita quidem ſenſiſſe: at cum Eccleſia hac in re nihil definiverit, moneatque ſanctiſſimus Benedictus XIV. loc. cit. cap. 17. nihil ab Epiſcopis in ſuis Synodis de hac quæſtione eſſe ſtatuendum: hinc videtur nec S. Thomæ auctoritatem præjudicare poſſe opinioni, quam intactam reliquit ſumma ſedes.

CAPUT II.

DE MINISTRO ET SUBJECTO HUJUS SACRAMENTI.

§. I.

De Ministro.

45 RESOLUTIO I. Ministri hujus Sacramenti sunt soli Sacerdotes, prout includuntur etiam Episcopi. est certissima inter Catholicos, & definita a Conc. Trid. Sess. XIV. Can. IV. De Extrem. unct.

Prob. I. Ex verbis JACOBI Apostoli: inducat *Presbyteros Ecclesiæ:* atqui per *Presbyteros* non intelliguntur *seniores populi*, ut perperam contendunt heterodoxi, sed ordinati *Sacerdotes. ergo. min. prob.* quamvis *Presbyteri* nomen sit commune & *senioribus* & *sacerdotibus*, in novo tamen testamento usurpatum, communius denotat *sacerdotes*, idque multo magis, quando additur: *Ecclesiæ*; cum cæteri ad distinctionem dicantur *seniores populi* πρεσβύτεροι τοῦ λαῦ.

Min. Prob. II. Officium, quod hic attribuitur, est ordinis, seu ministerium sacrum; jubentur enim ungere, orare in nomine Domini: cujusmodi officia laicis nunquam in Ecclesia fuerunt concessa. Itaque denotat actionem sacram, quæ habeat effectum ex institutione Christi, & ex opere operato.

perato. Non ergo referendum eſt ad ætatem.

46 *Prob. II.* ex traditione, Patres, qui de extrema unctione loquuntur, ejus miniſterium conſtanter attribuunt ſacerdotibus ordinatis, non *ſenioribus communitatis.* Sic CHRYSOSTOMUS Lib. III. de ſacerdotio, & INNOCENTIUS I. ad interrogata DECENTII Eugubini, qui dubitaverat, an hoc miniſterium ita ſit proprium ſacerdotibus ſimplicibus, ut non competat Epiſcopis, indubitanter reſpondit, etiam Epiſcopos intelligi. Unde colligitur evidenter, DECENTIUM multo magis laicos ab hoc miniſterio excluſos exiſtimaſſe, qui de Epiſcopis dubitavit. Idem *ſacerdotibus* attribuitur in Sacramentario GREGORII Magni, & in Concilio AQUISGRANENSI anno 836. Can. V.

47 Inde autem pariter infertur, neque Diaconos hujus Sacramenti miniſtros, ne quidem extraordinarios eſſe, quod propugnandum ſibi tamen ſumpſit LAUNOJUS; quæcunque enim ille profert argumenta, ea ipſa ſunt, quæ in Prælectionibus *de Pœnitentia* n. 429. fuerunt diſſoluta. Reconciliandi ſiquidem ibi aſſeritur poteſtas diaconis, ſed tantum *Canonice, indulgentialiter*, aut miniſtrandi Eucharistiam: de abſolutione ſacramentali, & extrema unctione nec jota ibidem legitur.

48 OBJIC. Contra I. Reſolut. INNOCENTIUS I. a DECENTIO Eugubino interrogatus, an &

& laicis oleo hoc uti liceret: respondit: *quod ab Episcopo confectum non solum sacerdotibus, sed & omnibus uti Christianis licet in sua aut suorum necessitate ad ungendum.* Ergo & laici sunt ministri.

II. Guido in disciplina monasterii farvensis scribit: *Tunc sint quatuor conversi, quorum unus accipiat aquam sanctam, alius crucem, tertius thuribulum, quartus oleum sacrum.* Ergo.

III. Thomas Waldensis scribit, unctionem extremam in necessitate & absentia sacerdotis etiam a laico fieri posse. Ergo.

Respond. ad I. Cum ætate Innocentii quidam dubitaverint, an Episcopus hoc Sacramentum administrare possit, eoquod Jacobus solum Presbyterorum mentionem fecerit, nemini utique in dubium venire potuit, id concedere laicis, quod an Episcopis cempeteret, dubium non nullis erat. Itaque sensus verborum Innocentii est vel de unctione *passiva*, id est etiam laicos infirmos ungendos esse, sed a sacerdote, aut de unctione *activa*, sed tantum ceremoniali, seu Sacramentali quodam, pro recuperanda sanitate, quemadmodum & aliæ res benedictæ adhiberi solent. Et sane ex Actis plurium sanctorum constat, eos oleo infirmorum citra Sacramenti collationem ad ægros curandos usos fuisse. vid. Benedictus XIV. de Synodo diœces. VII. 19. n. 2.

Respond.

RESPOND. ad II. Converſus ille oleum tantum deferebat ad infirmum a ſacerdote ungendum.

RESPOND. ad III. Deferendam eſſe WALDENSIS, ſi ita exiſtimaverit, opinionem. Forte autem tantum voluit, unctionem a laicis adhiberi poſſe non ut Sacramentum, ſed ut *Sacramentale* quoddam, prout dixi.

RESP. ad I. Cum enim viderent fideles, extremæ unctionis beneficio plures ſanitatem recuperaſſe, cæperunt ejus uſum pro variis languoribus adhibere.

RESOLUTIO II. Quamquam in Eccleſia 49
Latina *olim* plures adhibiti fuerint ſacerdotes, & in Græca adhuc ſeptem adhibeantur: unicus tamen ad validam & licitam quoque adminiſtrationem ſufficit.

Prob. I. pars. In Sacramentario GREGORII Magni hæc leguntur de benedictione olei infirmorum: „ Tunc offertur Pontifici „ oleum, & benedicit eum tam ipſe, quam „ omnes Presbyteri ad ungendum infirmum „ his verbis &c. multi enim ſacerdotes in„ firmos perungunt in quinque ſenſibus cor„ poris. „ Sic etiam CADURCENSE, RUTENENSE, & TUTELENSE Sacramentaria a MARTENE relata. Item conſtitutiones Angliæ tit. de extrema unctione, plures ſacerdotes commemorant. Cumque eadem conſtitutio totidem verbis repetita inveniatur in conſtitutionibus ODONIS Epiſcopi Pariſ. colligi-

ligitur, eandem quoque in Gallia fuisse disciplinam observatam.

Quin MARTINUS LEDESMA Hispanus ord. Præd. Theologus sæculo XVI. inclinante, quamvis asserat, ad necessitatem unum sufficere sacerdotem, ex decentia tamen plures esse debent, & ita habet consuetudo Ecclesiæ universalis, quod plures sacerdotes conveniunt ad ministrandum hoc Sacramentum. Affirmat quoque SS. BENEDICTUS XIV. spectata enim hodierna Ecclesiæ disciplina ne dum licitum, sed valde laudabile esse, ut uni Sacramentum administranti alii plures assistant sacerdotes, aut eorum defectu alii Clerici & viri probi, qui sacerdotis preces suis adjuvent orationibus.

50 *Prob. II.* pars, testimonio Græcorum, quorum omnium nomine legendus LEO ALLATIUS *de perpetua consensione* lib. III. cap. XVI. col. 1273. supra num. 27. allegatus. Observant autem Græci alii, quodsi præsto non sint septem Sacerdotes, tunc saltem tres adhiberi. Porro hunc ritum Græcorum etiam inter Latinos viventium non improbat SS. BENEDICTUS XIV. in sua Const. LVII. dummodo credant & asserant, illud Sacramentum servata debita materia & forma ab uno Presbytero valide & licite confici. Idem sacerdos materiam adhibere, formamque pronuntiare respective debet, ac præterea qui ungit, idem dicat formam respondentem, nec alius ungat, & alius formam pro-

pronuntiet. Dat ibidem rationem, cur nunc unus tantum adhibeatur ordinarie Presbyter; quia cum olim plures convocarentur, quilibet pro ſua opera haud exiguam expoſcebat mercedem: cui ſolvendæ cum pauperum vires non ſufficerent, ii ſine extrema unctione decedebant. Quæ corruptela occaſionem *Waldenſibus* præbuit, ut hoc Sacramentum criminarentur, tanquam divitibus ſolis administratum.

Prob. III. pars. Illis etiam ſæculis, u- 51
bi communiter plures adhibebantur ſacerdotes, ſæpe tamen unus ſolum vocabatur, uti de ATTEMO febre correpto narrat GREGORIUS Turon. lib. I. Hiſt. cap. IXL. qui *ab unico* ſancto NEPOTIANO viſitatus, atque oleo perunctus eſt. Sic ſanctum EUGENDUM ab uno de fratribus unctum referunt Bollandiſtæ ad 1. Januarii. Hoc ipſum ſtatuit ALEXANDER III. cap. IV. de verb. ſignif. nec ullus afferri poteſt canon, aut monumentum Eccleſiaſticum, quod plurium ſacerdotum operam de neceſſitate Sacramenti requirat.

Hæc dicta ſunto de valida adminiſtratione 52
hujus Sacramenti a quolibet legitime ordinato ſacerdote facta. Quantum ad licitam, ordinarius miniſter eſt Parochus, ita, ut Regulares, qui extra caſum neceſſitatis absque licentia Parochi illud adminiſtrare præſumunt, præter gravis culpæ reatum in excommunicationem incidant, ſedi Apoſtolicæ reſer-

reſervatam, juxta Clem. I. de privil. Cæterum in neceſſitate, & Parocho abſente, cum quisque ſacerdos poteſtatem habeat abſolvendi, eandem quoque habet quoad unctionem extremam, quæ eſt quaſi complementum & perfectio pœnitentiæ, uti obſervat ſæpe allegatus Benedictus XIV.

53 Objic. contra II. Reſolutionem. S. Jacobus expreſſe requirit plures Presbyteros: ergo ſi non ad valorem, ſaltem de præcepto divino aut Apoſtolico plures requiruntur.

Respond. In ſacra ſcriptura per ennallagen ſæpe numerus pluralis pro ſingulari ponitur, uti teſtatur S. Augustinus Lib. III. de conſenſu Evang. cap. XVI. exponens illud: *Latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.* Cum unus ſolum improperaverit, ab altero propterea correctus. Imo Augustinus e profanis quoque ſcriptoribus id ipſum probat. Eſt ergo ſenſus Jacobi, ex primæva diſciplina introducendos quidem eſſe plures Presbyteros, ſi adſint, & commode fieri queat: cæterum etiam unum ſufficere. Hinc ait S. Thomas lib. IV. contra gent. cap. LXXIII. ad citata verba Jacobi: ſi tamen unus ſolus Presbyter adſit, intelligitur hoc Sacramentum perficere in virtute totius Eccleſiæ, cujus miniſter exiſtit, & Perſonam gerit.

§. II.

§. II.

De subjecto extremæ unctionis.

RESOLUTIO I. Soli infirmi, periculose decumbentes, sunt subjectum hujus Sacramenti. 54

Prob. I. JACOBUS Apostolus de infirmo solum loquitur: ut etiam MARCUS cap. VI. ubi Sacramentum hoc fuisse insinuatum scribit Concil. TRIDENTINUM. Definitum quoque hoc fuit ab EUGENIO IV. in decreto ad armenos, & Concil. TRID. conformiter traditioni, qua docemur, nunquam nisi infirmis hoc Sacramentum fuisse administratum. Idem quoque de Græcis, eos infirmos inungere solitis, testatur JOB Menachus apud ARCUDIUM, Emanuel CALECAS, & GABRIEL Philedelphiensis, idque innuunt verba Apostoli: *& alleviabit eum Dominus*, utique infirmum.

Infirmorum autem nomine ii tantum veniunt, in quibus verificari potest forma, seu, qui peccati capaces fuerunt. Hinc infantes, pueri, etiam graviter infirmi, aut perpetuo amentes, qui lucida nunquam habuerunt intervalla, cum doli, peccatique nunquam fuerint capaces, ungi non possunt. Quamvis autem ætas certa determinari non queat, cum in aliis citius, in aliis tardius usus rationis adveniat, id tamen statui potest, tunc ungendos esse, cum doli, & Sacramenti pœ- 55

nitentiæ capaces ſunt, etiamſi ſacram Evchariſtiam, quæ ſublimius eſt myſterium, nunquam acceperint. Monent præterea plura Concilia, non eſſe in adultis exſpectandum ultimum quaſi halitum, cum deſperata eſt jam ſanitas, aut ſenſibus ſunt deſtituti, ſed tunc, quando mors timetur imminere. Olim quidem, ut obſervat SS. Benedictus XIV. ſæpe citatus, fideles in pluribus regionibus falſa tenebat perſuaſio, poſt unctionem acceptam illicitum ipſis deinceps, ſi convaluiſſent, fore conjugii uſum, interdictum eſum carnis, nec licere nudis incedere pedibus: hinc Sacramentum ad ultimum differebant momentum. Quem abuſum etiam ſub excommunicatione correxerunt citata ibidem Concilia. Errore illo eliminato ſucceſſit alius; putabant enim non nulli, poſt unctionem non licere ſibi teſtamentum condere. Sed & hodie non nulli ſunt hujus falſæ opinionis, tanquam Sacramento hoc ſuſcepto certa inſtaret mors, ſpe vitæ omni præcluſa; cum potius ſanitatem ſperare deberent. Hi errores a Parochis eximendi ſunt fidelibus. Cæterum Catholici pie viventes, ſi ſenſibus ſubito deſtituti Sacramentum petiiſſe præſumuntur, ungi debent ſub conditione.

56 Infirmorum nomine veniunt etiam ſenes decrepitæ ætatis, cum in dies creduntur morituri, quamvis nulla ſpeciali afficiantur ægritudine; cum ipſa annoſa ſenectus ſit infirmitas, quæ interiora vitæ organa labefa-

ctat,

ſtat, & mox ducit ad interitum, ut loquitur citatus Pontifex. Ex adverſo, quibus imminet vitæ periculum, ut qui mare transgreſſuri, prælium inituri, aut ultimo ſupplicio afficiendi: mulieres item partui propinquæ, niſi inſuper iisdem alia acceſſerit extraordinaria corporis ægritudo, hoc Sacramento muniri nequeunt, ut idem obſervat SS. Benedictus XIV. loc. cit.

Objic. contra I. Reſolut. Martene a- 57
pud SS. PP. Benedictum XIV. de S. D. L. VII. cap. 20. plura adducit exempla eorum, qui etſi corpore ſani, & vegeti, de proxima tamen morte a Deo præmoniti, extremæ unctionis Sacramentum ſuſceperunt. Ergo *non ſoli* infirmi ſunt ſubjectum hujus Sacramenti.

II. Maldonatus ſcribit, errare ſcholaſticos, dum extremam unctionem pueris ante uſum rationis infirmantibus denegandam cenſent; quia etiamſi non poſſint recipere omnem effectum hujus Sacramenti, poſſunt tamen recipere aliquem, nempe augmentum gratiæ ſanctificantis, & ſanitatem corporalem. Ergo non ſoli adulti ſunt ſubjectum hujus Sacramenti.

III. Parvuli ante uſum rationis ſunt capaces Sacramenti confirmationis, quamvis præcipuus hujus finis ſit generoſa fidei profeſſio, cujus parvuli ſunt incapaces: *Ergo* etiam &c.

Resp. ad I. Caſus illos velut extraordinarios non eſſe trahendos ad ſequelam. Et dici poteſt veroſimiliter, quod illi inſtantis mortis admoniti jam cœperint laborare interius morbo lethali, quo cito perducerentur ad mortem: etſi exterius viderentur ſani; ſicut ex eadem ratione ſenibus ob decrepitam ætatem adminiſtratur.

Resp. ad II. Deſerta eſt Maldonati ſententia ab omnibus theologis; quamvis enim aliquem effectum obtinere poſſit parvulus, eſt tamen incapax primarii, qui eſt remiſſio peccatorum, & reliquiarum. Si alicubi forte uncti fuerint parvuli, dici poteſt id factum absque forma Sacramentali, & ſine intentione conferendi Sacramentum.

Resp. ad III. *neg. conſeq.* Diſparitas eſt; quia parvuli ſunt capaces totius effectus Sacramenti confirmationis, nempe roboris ad profitendam ſuo tempore fidem ore, quam etiam ante uſum rationis moriendo profiteri poſſunt, & perfectionis Chriſtianæ. Hinc etiam in iis verificatur forma confirmationis: econtra non ſunt capaces effectus primarii unctionis, nec verificaretur forma; cum nondum potuerint formaliter delinquere per ſenſus, defectu rationis.

58 *Quæritur*, an beatiſſima virgo Maria ſuſceperit extremam unctionem. Nego contra Suarez; quia non poterat in ea verificari forma, nec effectus Sacramenti. Neque enim per ſenſus peccare poterat, nec muniri debebat adverſus dæmonis inſidias.

Reso-

Resolutio II. Græci quamvis etiam ſanos, aut parum infirmos, imo & pœnitentes loco ſatisfactionis ungant, quod ipſis interdictum eſt: ſolis tamen vere infirmis intendunt conferre Sacramentum. 59

Prob. I. Pars, teſtimonio Arcudii & Leonis Allatii, quin & Jeremiæ Patriarchæ Conſtantinopolitani in ſua cenſura adverſus Auguſtanam Lutheranorum Confeſſionem lib. I. cap. VII. id diſerte affirmantium. Scribit etiam Goar in ſuis ad Euchologium notis; Epiſcopum poſtquam feria V. majoris hebdomatæ infirmorum oleum ſolenni ritu conſecravit, non illud jubere aſſervari ad ægrotos ſuo tempore deferendum, *ſed totum* ſtatim inſumere, omnes inungendo adſtantes. Nam cum infirmus ungendus eſt, græci Presbyteri oleum ipſi benedicunt ſtatim uſurpandum. Certum quoque eſt, Græcos ſacerdotes loco ſatisfactionis, in Sacramentali confeſſione pœnitentibus imponendæ, ſolere interdum, haud exigua tamen accepta mercede eosdem ſancto oleo inungere, ut tali pacto a peccatorum reliquiis pœnisque pro iis ſubeundis abſolvantur. Quem abuſum non ſolum referunt, ſed & reprehendunt Nathanael & Arcudius, ipſi Græci, pluresque alii apud Juenin. Damnavit quoque Innocentius IV. Epiſtola ad Epiſcopum tuſculanum: *Ne ſacerdotes Græcorum aut confeſſores pro ſatisfactione pœnitentiæ unctionem aliquam ſolummodo injungant.*

60 *Prob. II.* pars, Græcos inungendo ſanos non intendere conficere Sacramentum: ſed quoddam Sacramentale, ſaltem ſi de Græcis ſanioribus loquamur.

I. Hæc conſuetudo Græcorum antiquiſſima eſt, nec incognita Latinis, ut patet ex citato mox INNOCENTIO IV. neque tamen unquam iisdem exprobrata fuit. Quodſi Latini, qui ſolos infirmos unctionis Sacramenti capaces conſtanter credunt, exiſtimaſſent, Græcos, dum ſanos perungunt, intendere Sacramentum adminiſtrare, certo certius hunc in iis errorem damnaſſent, quod nunquam contigiſſe legitur; maxime cum INNOCENTIUS non reprehendat ſimpliciter unctionem ſanorum, ſed id ſolum, quod loco ſatisfactionis imponatur. Nec aliud etiam iis interdixit BENEDICTUS XIV. in ſua conſtitutione LII. §. V. ſuper ritibus Græcorum.

61 *Prob. II.* De Latinis etiam legitur, quod aliquos haud graviter decumbentes oleo infirmorum unxerint absque intentione conferendi Sacramentum, ſed curandi infirmitates minime periculoſas. Sic S. GOTHARDUS apud SURIUM 4. Maji Presbytero juſſit, ut cujusdam mulieris oculorum morbo laborantis, ſacro oleo, quod infirmorum dicitur, ungeret oculos, quæ quidem unctio & ſancti viri preces ab illo dolore usque ad finem vitæ eam immunem conſervarunt. Ipſi etiam laici hoc oleo utebantur in ſuis infirmitatibus, ut conſtat ex INNOCENTIO I. & fa-

ctis

ctis non nullis, quæ referuntur in opere citato de Synod. dioeceſ. L. VII. C. XIX. n. 11. p. 314. quin exiſtimaverint, ſe conferre Sacramentum. Tempore Dionysii areopagitæ defunctorum corpora Sacerdotum hoc oleo ungebantur, ut patet ex Lib. de Eccl. hierarch. Cap. VII. apud Macrum V. *oleum ſanctum.*

Objic. contra II. Reſolut. Græci dum 62
ſanos inungunt, omnia adhibent ad Sacramentum neceſſaria: ergo putant ſe Sacramentum adminiſtrare; adeſt enim materia, forma, miniſter: adeſt intentio faciendi, quod facit Eccleſia, conficiendi ſcilicet ritum, applicando formam materiæ. *Ergo. &c.*

II. Scribit Jeremias Patriarcha Conſtantinopolitanus in ſua cenſura A. C. de Sacramentis: „ Illis vero, qui poſt Baptisma pec„ caverunt, pœnitentia, conſecratique olei unctio conducunt, quæ Sacramenta aut re„ miſſionem peccatorum largiuntur, aut „ ſordes animæ inhærentes expurgant. „ Ergo cuilibet pœnitenti, etiam ſano, adminiſtratur Sacramentum extremæ unctionis à Græcis.

Resp. ad I. Duo deſunt ad verum Sacramentum; nempe *ſubjectum*, quod eſt ſolus infirmus: 2. *Intentio* miniſtri, quam deeſſe probavi. Neque enim ſufficit ſola externa intentio, uti tamen ſupponit Juenin, cujus eſt hoc argumentum.

Resp. ad II. Non dicit Patriarcha, omnes pœnitentes ungi: ſed agens de numero Sacramentorum ſingula ordine recenſet, dicitque, quod lapſis poſt Baptismum ſuperſint duo Sacramenta, diverſo tamen tempore adminiſtranda; *Pœnitentiæ*, quoties fuerit peccator debite diſpoſitus: *Extremam unctionem*, dum gravis ſupervenerit infirmitas.

CAPUT III.

DE EFFECTU ET NECESSITATE HUJUS SACRAMENTI.

§. I.

De effectu.

63 Tres effectus huic Sacramento adſcribit Jacobus, 1. ſanitatem corporis reſtituit, ſi tamen animæ ſaluti expediat. *Oratio fidei ſalvabit infirmum.* 2. Infirmum erigit, ſeu peccatorum reliquias abſtergit: *& alleviabit eum Dominus.* 3. Peccata remittit: *Et ſi in peccatis fuerit: remittentur ei.* Eosdem effectus recenſet Concil. Tridentinum, ſed alio ordine; ait enim Seſſ. XIV. Cap. II. „ Res etenim hæc, gratia eſt Spi„ ritus ſancti, cujus unctio delicta, ſi quæ „ ſint adhuc expianda, ac peccati reliquias „ abſtergit, & ægroti animam alleviat & „ confirmat, tanquam in eo divinæ miſeri„ cordiæ fiduciam excitando, qua infirmus „ ſub-

„ ſublevatur, & morbi incommoda ac labo-
„ res levius fert, & tentationibus dæmonis
„ calcaneo inſidiantis facilius reſiſtit, & ſa-
„ nitatem corporis interdum, ubi ſaluti ani-
„ mæ expedierit, conſequitur. „ Hæc Tridentinum. Porro inter hos extremæ unctionis effectus, a Tridentino enumeratos, curioſe magis, quam utiliter inveſtigant Scholaſtici, quinam ſit dicendus hujus Sacramenti proprius & primarius, & in diverſas ſcinduntur opiniones, verba ſunt Benedicti XIV. L. VII. de Synodo Cap. XXII. n. 3. diſputant quoque, an per ſe & directe remittat peccata mortalia: an ſanitatem reſtituat ex opere operantis, vel operato. Id tamen apud omnes indubitatum eſſe ſcribit laudatus Pontifex, per ejusmodi Sacramentum deleri peccata venialia: & fere etiam communiter admittunt, ejusdem virtute interdum remitti peccata lethalia, dum ſcilicet peccator ſufficienter cæteroquin attritus, alia Sacramenta recipere nequit, aut illa ſuſcepta peccato irretitur, quod invincibiliter ignorat: ſive remittat directe & per ſe, ſive indirecte & per accidens. Obſervat tamen cum communi idem ſanctiſſimus Pontifex, neutrum effectum ab extrema unctione produci ſine pio aliquo ipſius ſuſcipientis actu; nec enim peccata venialia remittit absque aliqua eorum diſplicentia: nec lethalia delere valet, ſine eorumdem deteſtatione, eaque ſaltem imperfecta contritione, quæ ad juſtificationem in Sacramento pœnitentiæ conſe-

quendam eſt neceſſaria. Inde autem legitime infertur, unctionem extremam non eſſe differendam, donec æger ſenſibus, & mente jam ſit deſtitutus; cum ejusmodi actus tunc elicere nequeat. Hinc Catechismus Concilii Tridentini graviter objurgat animarum paſtores, qui ſe falſæ vulgi perſuaſioni accomodantes tunc primum infirmum ſacro oleo linire curant, cum vita & ſenſibus carere incipit. His, quæ certiora ſunt, præmiſſis ſit

64 Resolutio I. Effectus primarius extremæ unctionis eſt gratia de ſe remiſſiva peccatorum venialium, quæ etiam abſtergit peccatorum reliquias, ſeu torporem animi ex vitioſis habitibus, peccatisque venialibus contractum, & confortat animum, ſeu allevìat & excitat ad magnam de divina miſericordia fiduciam: munit quoque adverſus inſidias dæmonis vehementiores in ultimo agone. Eſt quoad ſubſtantiam ſententia Catechismi Romani P. II. Cap. VI. n. 14.

Prob. I. pars. Peccatorum remiſſio tanquam effectus hujus Sacramenti primo loco ponitur a Tridentino Concilio, & Catechismus expreſſe exponit de venialibus, & etiam hodierna forma eum inſinuat: *Indulgeat tibi Deus, quidquid deliquiſti per ſenſus;* cum enim hoc Sacramentum non ſit *mortuorum*, ſed potius tanquam complementum pœnitentiæ ſupponat gravia per abſolutionem Sacramentalem, cui ſubnectebatur olim, dimiſſa: cum etiam extrema unctio adminiſtre-

ſtretur a ſacerdote, cui Jure divino in periculo mortis facienda eſt confeſſio: imo cum unctio hodie conferri ſoleat ſtatim poſt Evchariſtiam, quæ ſupponit animam à mortalibus liberam, codex Tilianus præcipit, confeſſionem præmittendam unctioni, ergo unctio per ſe non videtur inſtituta ad remiſſionem peccatorum gravium: quamvis etiam per accidens illa remittere queat.

II. Sanitas ſpiritualis ac confortatio ani- 65
mæ certiſſime eſt effectus hujus Sacramenti: ergo ut anima ſanetur, & erigatur, radix è medio tollenda eſt, quæ animam reddebat infirmam & languidam: atqui hoc præſtabant peccata venialia, & vitioſi habitus contracti, utpote qui enervant animæ vigorem, cæcitatem inducunt, & minus aptam efficiunt ad reſiſtendum violentis dæmonum inſultibus. Ergo remiſſio peccatorum venialium eſt effectus primarius, ex quo dein conſequuntur reliqui; ſublato enim torpore, animique triſtitia, ob inſtantem etiam mortem concepta, erigitur animus, confortatur, ut virtute Sacramenti ſpem de Dei miſericordia concipiat, minus angatur peccatorum memoria, dominique adventum magna tranquillitate exſpectet. Quòd vero etiam muniat contra dæmonum inſultus, patet tum ex antiquis hujus Sacramenti formulis, n. 43. adductis, tum ex benedictione olei præſcripta in Pontificali his verbis: „ Exorcizo te immundiſſime ſpiritus, omniſ-

que

„ que incurſio Satanæ, & omne phantas-
„ ma in nomine Patris & Filii & Spiritus
„ ſancti, ut recedas ab hoc oleo, & poſſit
„ effici unctio ſpiritus ad corroborandum
„ templum Dei vivi, ut in eo poſſit Spiritus
„ ſanctus habitare per nomen Dei Patris o-
„ mnipotentis, & per nomen dilectiſſimi Fi-
„ lii ejus Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui ven-
„ turus eſt judicare vivos & mortuos & ſæ-
„ culum per ignem. Amen. „ Ubi *confortatio* contra dæmonem præcipuus indigitatur unctionis effectus. Legatur Catechismus Romanus.

66 Objic. contra I. Reſolut. Jacobus non diſtinguit inter peccata gravia & levia; ergo extrema unctio omnia per ſe remittit.

II. Ungi poteſt fidelis, qui Chriſtiane vixit, ſi ſenſibus ſubito deſtituatur, quamvis antea nec fuerit confeſſus, nec ſignum contritionis edat: ergo ſupponit Eccleſia, extremam unctionem per ſe delere peccata omnia.

III. Pro venialium remiſſione non eſt neceſſarium diſtinctum Sacramentum, utpote quæ & per pœnitentiam & alia Sacramentalia remittuntur, ergo hæc non eſt effectus primarius.

Resp. ad I. Cum S. Jacobus ſuppoſuerit, gravia fuiſſe remiſſa per confeſſionem Sacramentalem, cujus ibidem meminit; hinc peccatorum nomine intelligere voluit venialia: aut etiam mortalia, per accidens

&

& indirecte delenda, *ſi in peccatis fuerit.* Accedit quod Catechiſmus Romanus aſſerat, duo tantum Sacramenta Baptiſmum & Pœnitentiam vi ſua ad efficiendam peccatorum exitialium remiſſionem inſtituta eſſe.

Resp. ad II. *conc. antec. neg. conſeq.* Sed ſupponit Eccleſia, fidelem ejusmodi aut nullius gravis peccati eſſe reum: aut antequam ſenſibus fuerit deſtitutus, elicuiſſe contritionem cum voto Sacramenti juſtificativam: aut hoc caſu remitti gravia indirecte & per accidens, ſi modo adſit diſpoſitio in infirmo: hinc Sacramenta miniſtranda ſunt ſub forma conditionata, ſaltem mentali conditione.

Resp. ad III. *diſting.* Non eſt neceſſarium abſolute, *conc.* convenienter, *neg.* etſi enim venialia remitti queant per Sacramentalia ex opere operantis, per Sacramentum tamen efficacius delentur & ſecurius ex opere operato. Quamvis autem non ſit abſolute neceſſarium: quis tamen poteſt Deo legem ponere, ne etiam media ſuperabundantia homini largiatur, qui venit ut vitam habeant, & *abundantius* habeant.

Resolutio II. Sanitas corporis eſt ef- 67
fectus hujus Sacramenti ſecundarius: & quidem ſi infirmitas provenerit ex operatione dæmonis, ſanitas erit effectus Sacramenti per ſe directe, & ex operato, ſi autem infirmitas fuit naturalis, tunc ſanitas eſt effectus conditionatus quaſi ex opere operato.

Prob.

Prob. I. pars. Primarius Sacramentorum effectus eſt ſalus animæ; ſunt enim inſtituta ad noſtram ſanctificationem: ergo ſanitas corporis non poteſt eſſe primarius: quod autem ſit effectus ſaltem ſecundarius, colligitur tum ex verbis Jacobi: *oratio fidei ſalvabit infirmum:* tum ex formulis antiquis hujus Sacramenti, & benedictionibus olei, ubi ſanitas non tantum animæ, ſed & corporis intenditur. Sic in Sacramentario Gregorii M. ad conſecrationem olei præſcribitur oratio: „ Emitte Domine Spiritum ſan- „ ctum tuum paraclitum in hanc pinguedi- „ nem olivæ - - - ut tua ſancta benedictio- „ ne ſit omni hoc unguentum tangenti tu- „ tamentum mentis & corporis ad evacuan- „ dum omnes dolores, omneſque infirmita- „ tes, omnem ægritudinem corporis. „ Dein in actuali unctione hæc præſcribitur ſacerdoti oratio: „ Deus conſerva famulo „ tuo tuarum dona virtutum & concede, „ ut medelam tuam non ſolum in corpore, „ ſed etiam in anima ſentiat. „ Et alia ſubſequens: „ Sana quoque quæſumus o- „ mnium medicator, ejus febrium & cun- „ ctorum languorum cruciatus ægritudinem- „ que & dolorum omnium diſſolve tormen- „ ta. „ Concilium Cabilonense an. 813. de unctione extrema loquens ait: *non parvi pendenda eſt hujusmodi medicina, quæ animæ corporisque medetur languoribus.*

68 *Prob. II.* pars. Infirmitates corporales quandoque provenire ab inhabitatione dæmonis,

monis, vel maleficio, conſtat ex Lucæ XIII. ubi producitur mulier, „ quæ habebat ſpi„ ritum infirmitatis annis decem & octo; „ & erat inclinata, nec poterat ſurſum re„ ſpicere: quam cum videret Jesus, voca„ vit eam ad ſe, & ait illi: mulier dimiſſa „ es ab infirmitate tua. „ Et poſtmodum: „ hanc filiam Abrahæ alligavit Satanas an„ nis decem & octo. „ Jam vero contra ejusmodi morbos, ex operatione dæmonis provenientes, dirigebantur antiquæ hujus Sacramenti formulæ, ut illa in Sacramentario Gregorii M. n. 43. cit. cui ſimillima eſt illa in codice Halitgarii ſæc. 8. ex quibus ſic inferri poteſt. Sacramenta id operantur ex opere operato, per ſe & virtute propria, quod ſignificant: atqui extrema unctio ſignificat curationem infirmitatis ex dæmonis maleficio provenientis, juxta citatas formulas: ergo eam operatur ex opere operato. Quodſi autem nec iſta ſemper ſubſequatur, adſcribendus eſt hic defectus defectui diſpoſitionis & fidei infirmi; forma enim hujus Sacramenti vocatur *oratio fidei.* Nam & Evangeliſta, ut notat Catechismus Romanus, teſtatur Matth. XIII. 58. Chriſtum non feciſſe multas virtutes in patria ſua propter incredulitatem eorum. Et Marci V. 5. & non poterat ibi in patria virtutem ullam facere, niſi paucos infirmos impoſitis manibus curavit, & mirabatur propter incredulitatem eorum.

Prob.

69 *Prob. III.* pars. Ex decreto EUGENII IV. ad Armenos. Effectus hujus Sacramenti est mentis sanatio: in quantum autem expedit, etiam corporis. TRIDENTINUM ait: sanitatem corporis interdum ubi saluti animæ expedierit, consequitur. Unde colligitur, effectum hunc esse tantum conditionatum, nec proprie ex opere operato; secus deberet semper produci, & non solum *interdum*, ut tamen loquitur Concil. Trident. Requiritur ergo præter eam conditionem, *si saluti animæ expedierit*, etiam magna quædam & viva fides tum in ministro, tum in infirmo.

70 Quæ contra hanc II. Resolutionem objici possunt, facile solvuntur ex ipsa Resolutione bene percepta. JACOBUS primo quidem loco recensuit sanitatem corporis, propter contextum sermonis, quia primo loquebatur de infirmitate corporali. Et licet sanitas corporalis sit effectus Sacramenti, non sequitur tamen, quod criminantur hæretici, Catholicos fore immortales, cum Sacramenta ex mente Catholicorum habeant effectum infallibilem. Id enim solum intelligendum est de effectu primario & absoluto, non autem de secundario & conditionato, cujusmodi est sanitas corporalis.

§. II.

§. II.

De Necessitate seu Præcepto hujus Sacramenti, ejusque iteratione.

Non quæritur hic de necessitate *medii*, 71
quam omnes negant, sed de necessitate *præcepti* divini & Ecclesiastici, quam quidam propugnant, alii autem negant. Hoc tamen omnes fatentur, omissionem extremæ unctionis, si fiat ex contemptu, grave esse peccatum. Hinc MARTINUS V. suspectos de hæresi jussit inter cætera interrogari: utrum credant, quod Christianus contemnens susceptionem Sacramenti confirmationis vel extremæ unctionis, aut solennizationem matrimonii peccet mortaliter. Et Concil. Coloniense anno 1549. cap. 38. Ecclesiastica sepultura privandos decrevit impios illos homines, qui infirmitatis suæ tempore sacram unctionem respuerent, ac contemnerent. Istud autem præceptum spectat tum Sacerdotem quoad obligationem administrandi maxime tempore pestis, tum infirmum quoad necessitatem suscipiendi. Insuper autem quæritur, an sæpius in eadem, aut nova infirmitate iterari queat, ac quo ordine temporis administrari debeat hoc Sacramentum.

RESOLUTIO I. Parochis jure divino & 72
Ecclesiastico præceptum est, extremam unctionem infirmis postulantibus, etiam tem-

pore peſtis, etiam cum periculo propriæ vitæ adminiſtrare.

Prob. I. pars. CHRISTUS ſacerdotes conſtituit diſpenſatores & miniſtros ſuorum myſteriorum ad fidelium utilitatem inſtitutorum: & fidelis jus habet petendi: ergo ſacerdos habet obligationem adminiſtrandi: jus autem petendi eſt à Deo: ergo & obligatio. II. Parochus ob contractum cum ſubditis initum ex juſtitia obligatur conferre Sacramenta debite diſpoſitis: atqui infirmi poſtulantes ſupponuntur debite diſpoſiti: ergo: &c. III. Idem præceptum continetur in verbis Apoſtoli: *Infirmatur quis ex vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum.* De præcepto Eccleſiaſtico conſtat ex pluribus Conciliis, & ex libro Pœnitentiali THEODORI Archiepiſcopi Cantuarienſis, ubi ait: „ ſecundum auctoritatem Canonicam, „ ne illis (infirmis) janua pietatis clauſa „ videatur, orationibus & conſolationibus „ Eccleſiaſticis, ſacra unctione olei inuncti „ ſecundum ſtatuta SS. Patrum communio- „ ne viatici reficiantur. „ Colligitur quoque ex dicendis Reſolutione II. ubi hoc præceptum divinum ad infirmos extenditur: ergo eo ipſo obligat Miniſtros: ſatenturque facile omnes, quando abeſt periculum vitæ à ſacerdote ob unctionem incurrendum.

73 *Prob. II.* pars. Eadem videtur eſſe ratio de Parochis, quæ de Epiſcopis; atqui iſtis in communi fidelium periculo ſeſe ſubducere

ducere non licet, ut cuti suæ parcant. Ergo neque Parochis. *min.* prob. e NICOLAO I. R.P. apud GRATIANUM cap. *sciscitaris* 47. VII. 1. Ita ad Humfridum Episcopum rescribente: „ Scias charissime frater, quod si „ perniciosum est proretam in tranquillitate „ navem deserere, quanto magis in fluctibus? ubi non dicimus, quod persecutorum non fugiamus, maxime paganorum „ insidias - - - sed quod præcipue nos, qui „ tanquam arietes ducatum gregibus præbemus, imo qui & horum pastores sumus, „ Deo auctore, cum eis in periculis pro viribus persistere pro certo conveniat, & „ cum tranquillitas reddita divina fuerit pietate, sopitaque furentium infestatio, mox „ gregem requirere, & in unum colligere, „ & eis animos cœlestis patriæ pace ac potissimum securitate prædicata, sursum erigere debemus. Et tamdiu super eorum „ cautela oportet nos esse solicitos, ut si „ Dei judicio præsentis temporis commoda „ fortassis amittunt, futuræ vitæ se sperent „ gaudia absque ambiguitate percipere sempiterna. „ S. THOMAS 2. 2. Q. 185. art. 5. eandem quæstionem pertractans, ad hanc ipsam NICOLAI epistolam provocat, & ita respondet: „ Dicendum, quod in qualibet „ obligatione præcipue attendi debet obligationis finis. Obligant autem se Episcopi (utique & Parochi) ad exequendum „ pastorale officium propter subditorum salutem. Et ideo ubi subditorum salus exi-

„ git Personæ pastoris præsentiam, non de-
„ bet pastor personaliter suum gregem dese-
„ rere neque propter aliquod commodum
„ temporale, neque etiam propter aliquod
„ personale periculum imminens; cum bo-
„ nus pastor animam suam ponere teneatur
„ pro ovibus suis. „ & in *Resp.* ad I. „ Il-
„ le tanquam mercenarius fugit, qui com-
„ modum corporale, vel etiam salutem cor-
„ poralem spirituali saluti proximorum præ-
„ ponit.

74 *Prob. III.* Ratione. Parochi debent esse veri pastores, non mercenarii, qui tempore periculi deserant oves: atqui verus Pastor debet animam ponere pro ovibus: ergo etiam cum periculo propriæ vitæ administrare Sacramenta. II. Etiamsi Parocho immineat periculum vitæ, infirmus tamen peste correptus jus habet petendi Sacramentum pro sua necessitate & salute animæ à Christo institutum: ergo etiam Parochus obligationem habet conferendi: maxime quia ille contractus innominatus, qui inter ipsum & Parochianos fuit initus, tempore pestis non rescinditur, consequenter ex justitia tenetur. Et quidem si infirmus aliud Sacramentum suscipere nequeat, extremam illis unctionem ministrari debere, conveniunt fere theologi: quia hoc Sacramento saltem indirecte remittuntur peccata mortalia, conferturque gratia multiplex, & statuit expressis terminis Synodus Namurcensis 1639. tit. XIV. cap. 9.

qui

qui autem peſte afflictus non eſt confeſſus, nec poteſt confiteri, Paſtor tenetur illi extremam unctionem cum periculo vitæ dare. III. Reliqua duo Sacramenta Pœnitentiæ & Evchariſtiæ Parochus adminiſtrare debet, quamvis adminiſtratio ſit cum periculo vitæ conjuncta: ergo etiam extremam unctionem, quæ tanto periculo vix eſt ſubjecta; eoquod illo caſu liceat virgula, non pollice, in uno ſenſu ungere infirmum, cum forma univerſali, poſſitque ſe pharmacis ſalutaribus præmunire, ac propoſito exemplo boni Paſtoris divinæ ſe providentiæ committere.

Excipi poſſet caſus, ſi in tota vicinia u- 75
nus ſolum foret ſacerdos, per cujus mortem *cæteri* itidem periculoſe ægri deſtituerentur uſu Sacramentorum magis neceſſariorum, ut eſt Evchariſtia & Pœnitentia; tunc enim infirmi non habent rationabiliter jus petendi extremam unctionem, cum præjudicio non ſolum Parochi, ſed aliorum, qui verum jus habent ad alia Sacramenta, conjunctam.

Objic. contra I. Reſolutionem. Illa ſo- 76
lum Sacramenta cum periculo vitæ adminiſtrare debet ſacerdos, quæ ſunt neceſſitatis: atqui extrema unctio non eſt Sacramentum neceſſitatis, poſſunt enim infirmi juvari Sacramento Pœnitentiæ & Evchariſtiæ.

II. Tunc debet jure divino Parochus miniſtrare Sacramenta, quando fideles *rationabiliter* petunt: ſed cum ex adminiſtratione Sacramenti imminet Parocho vitæ periculum,

non petunt *rationabiliter*, ergo tunc non tenetur ex juſtitia.

III. Parochiani non tenentur cum propriæ vitæ periculo Sacramenta recipere, ſed poſſunt ſalvari illorum voto: ergo nec Parochus &c.

Resp. ad I. *neg. maj.* Sequeretur enim, quod neque Sacramentum Pœnitentiæ nec Evchariſtiam miniſtrare deberet, quando ipſi ex adminiſtratione vitæ periculum imminet, cum non ſint de neceſſitate medii abſolute, eoquod Pœnitentes ſe juvare poſſint contritione cum voto Sacramenti juſtificativa. Ratio autem eſt, quia ex abſentia Paſtoris magna in grege perturbatio oriretur. Hinc Augustinus Epiſt. 228. alias 180. ad Honoratum ait. „ An non cogitamus, cum ad „ iſtorum periculorum pervenitur extrema, „ nec eſt poteſtas ulla fugiendi, quantus in „ Eccleſia fieri ſoleat ab utroque ſexu at„ que ab omni ætate concurſus, aliis Ba„ ptismum flagitantibus, aliis reconciliatio„ nem, aliis etiam pœnitentiæ ipſius actio„ nem, omnibus conſolationem & Sacra„ mentorum confectionem & erogationem „ - - - quantus denique gemitus omnium, „ & quorumdam quanta blasphemia de ab„ ſentia miniſteriorum & miniſtrorum. Vi„ de quid faciat malorum temporalium ti„ mor, & quanta in eo ſit acquiſitio malo„ rum æternorum. Si autem miniſtri ad„ ſint, pro viribus, quas eis Dominus ſubmini-

„ miniſtrat, omnibus ſubvenitur, alii bapti-
„ zantur, alii reconciliantur, nulli dominici
„ corporis communione fraudantur, omnes
„ conſolantur, ædificantur &c. „

Resp. ad II. *neg. min.* Divino enim jure facultatem habent petendi: & tunc maxime hoc Sacramento indigent. Debet ergo ſacerdos vitam propriam corporalem poſtponere ſaluti animæ ſuarum ovium.

Resp. ad III. *diſting. antec.* Si conſcii non ſint gravis peccati, aut moraliter certi de perfecta contritione, *conc.* ſecus *neg.* Cum autem raro tanta ſit contritionis perfectio, quæ juſtificet, hinc in tanto animæ periculo ſequenda eſt ſententia tutior. Nego etiam *conſequent.* quia Parochus non ſolum ex charitate, ſed etiam ex juſtitia petenti adminiſtrare debet Sacramenta.

Resolutio II. Fideles in periculoſa in- 77
firmitate jure divino, naturali, & Eccleſiaſtico Sacramentum extremæ unctionis ſuſcipere obligantur.

Prob. I. De jure divino. Jacobus promulgans hoc Sacramentum à Chriſto inſtitutum, utitur verbis imperativis: *infirmatur quis ex vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ:* quod non eſt nudum conſilium; nam cætera omnia, quæ ibidem leguntur, ſunt præcepti divini, nempe materia, forma, miniſter, & ipſum etiam præceptum miniſtro ibidem datum: *orent, ungant,* divinum eſſe, ſaltem extra periculum vitæ, nec Adverſarii

negant: ergo etiam præceptum ſubjecto dictum, eſt divinum, neque ſolum ab Apoſtolo humana auctoritate latum, ſed promulgatum.

II. Concilium TRIDENTINUM damnat eos, qui docent, hanc unctionem vel figmentum eſſe humanum, vel ritum à patribus acceptum, nec mandatum Dei, nec promiſſionem gratiæ habentem. Et favet quoque Concilium COLONIENSE an. 1556. parte VII. cap. 50. „ Ita ſtatuens: eſt autem unctio „ impendenda cum expoſitione unctionis, „ & mandati Apoſtolici, quod ſic habet: *in-* „ *firmatur quis* &c.

78 *Prob. II.* De præcepto naturali. Quo jure quis obligatur ad effectum ponendum, eodem tenetur adhibere medium ordinarium à Chriſto præſcriptum pro illo effectu: atqui infirmus jure divino & naturali ſuperare debet tentationes dæmonis in ultima lucta: ergo obligatur ad medium ordinarium adhibendum; atqui hoc medium eſt extrema unctio, quippe inſtituta à Chriſto tanquam robur contra inſidias, in fine vitæ regulariter vehementiſſimas. Ergo &c.

II. In infirmitate corporali debet quis adhibere medicinam convenientem & paratam ad evitandum periculum vitæ: ſecus præſumitur, quod ſe ipſum enecare velit: ergo etiam in periculo animæ, ne ſuperetur à dæmone, & æternum pereat, uti debet medio ad hunc finem à Chriſto ordinato: ſecus

ſecus præſumitur, velle conſentire in mortem animæ.

III. Fidelis tempore perſecutionis divino & naturali jure obligatur ſuſcipere Sacramentum confirmationis ad fortiter propugnandam fidem inſtitutum & neceſſarium ex dictis de confirmatione. Contrariam cujusdam propoſitionem facultas Pariſienſis proſcripſit tanquam ſcandaloſam. Ergo à pari cum extrema unctio haberi poteſt, omni jure ſuſcipienda eſt; maxime cum facilius adminiſtrari poſſit, quam confirmatio, cujus miniſter ordinarius eſt ſolus Epiſcopus.

IV. Jure naturali & divino prohibitum eſt, ne Sacramentum extremæ unctionis contemnatur; ſed dum haberi poteſt, nec tamen ſuſcipitur, contemnitur ipſo facto: quemadmodum confirmatio contemni dicitur a Concilio SENONENSI 1514. *quando Epiſcopus eſt præſens, paratus dare, & Perſona hoc ſciens negligit, aut deſpicit recipere*; quando enim prudens non poteſt dari ratio non ſuſcipiendi hoc Sacramentum, tantopere ultimo agoni accomodatum: tunc contemptus ipſo jure præſumitur: atqui infirmus periculoſe decumbens non poteſt prudentem habere rationem non ſuſcipiendi hoc Sacramentum: ergo ſine contemptu non poteſt omittere.

Hinc facile colligitur etiam præceptum Eccleſiaſticum; conſtans eſt enim Eccleſiæ mens, obligandi fideles ad divina præcepta ſer- 79

ſervanda, adhibendaque media à Chriſto præſcripta, quæ etiam deſumitur ex Concilio *Cabillonenſi* an. 813. Can. 48. „ Secundum B. Apoſtoli documentum, cui etiam documenta Patrum conſentiunt, infirmi oleo, quod ab Epiſcopo benedicitur, a Presbyteris ungi debent. „ Hic Canon utrumque reſpicit, & obligationem miniſtri & infirmi.

80 Objic. contra II. Reſolutionem. Scriptores IV. priorum ſæculorum non meminerunt hujus præcepti divini: *Ergo.* &c.

II. In vitis Chriſtianorum per ſex priora ſæcula non legitur, eos fuiſſe ſolicitos de extrema unctione. *Ergo* &c.

Resp. ad I. Nego *antec.* meminit enim ejus Jacobus Apoſtolus, omneſque extremam unctionem à Chriſto inſtitutam tradiderunt. Cum autem de hoc præcepto nunquam fuerit exorta controverſia, rarior erat occaſio Patribus de ea diſſerendi.

Resp. ad II. *Retorq.* Neque ſemper meminerunt Evchariſtiæ. Dein *diſting.* Non meminerunt verbis expreſſis, *conc.* implicite ſub nomine pœnitentiæ, cujus erat complementum, & cui ſolebat ſubjungi, *neg.*

81 Resolutio III. Hoc Sacramentum iterari poteſt tunc, quando infirmi poſt ſuſceptam unctionem convaluerint, ac in aliud ſimile vitæ diſcrimen inciderint. Ita Tridentinum Concilium Seſſ. XIV. de extrema unct. cap. III.

Prob.

Prob. Ratione S. Thomæ in ſupplem. q. 33. a. 1. Ideo Sacramenta imprimentia characterem iterari nequeunt, quia producunt effectum perpetuum: Sacramentum autem, quod non producit effectum perpetuum, poteſt iterari ſine injuria, ut effectus deperditus iterato recuperetur, & quia ſanitas corporis & mentis, quæ ſunt effectus hujus Sacramenti, poſſunt amitti, poſtquam fuerit per Sacramentum effecta, ideo hoc Sacramentum ſine ſui injuria poteſt iterari.

Erant non nulli ſæculo XI. & ineunte 82
XII. uti Goffridus Vindocenſis, & Ivo Carnatenſis ejus opinionis, ut unctionem ſemel collatam deinceps iterari poſſe negarent, *ex ratione*; quod pœnitentia publica ſemel tantum agi poſſit in vita, extrema unctio autem eſſet publica quædam exeuntium pœnitentia: & quod confirmatio quoque repeti non poſſit, ad cujus ſimilitudinem unctio quoque adminiſtranda eſſet. At decepti ſunt viri boni, jamque ab omnibus deſerti. Quod enim attinet publicam pœnitentiam, illa *non erat* Sacramentum, ſed diſpoſitio ad illud, & ritus Eccleſiaſticus. Pœnitentia privata Sacramentalis utique poterat repeti. Confirmatio autem ob characterem & effectum, quem producit perpetuum, repeti non debet.

Monachi Hirſaugienſes apud SS. Benedictum XIV. cap. 23. L. VII. falſo ſibi perſuaſerant, iterari quidem poſſe extremam unctio-

unctionem, si tamen a die perceptae unctionis tres integri effluxerunt anni. Alii, quorum meminit PETRUS Cantor & DURANDUS, intra annum bis eundem ungi non posse statuerunt. Viguit illa praxis in ordine claravallensium. Imo sæculo adhuc XVI. alicubi eadem obtinuit, ut colligitur ex Synodo IPRENSI eodem sæculo habita ubi tit. XVII. cap. 3. postquam declaratum fuit, quandocunque opus fuerit, eidem denuo administrari posse, additur: *proinde consuetudinem, secundum quam non consuevit hoc Sacramentum intra annum secundo suscipi, etiamsi altera gravis obveniat infirmitas, tanquam noxiam abrogamus.*

84 A contrario affirmarunt alii, unctionem extremam in eadem infirmitate sæpius iterandam esse. In antiquo Codice S. REMIGII circa an. M. exarato, quem producit HUGO MENARDUS in notis ad Sacramentarium GREGORII M. statutum legitur, infirmos vita periclitantes per 7. continuos dies & Christi corporis viatico recreandos, & S. oleo esse perungendos. Eundem ritum præscribunt THEODULPHUS Aurelianensis in capitulari secundo apud BALUZIUM, pluresque antiqui apud MARTENE. At communior semper fuit usus ille, qui in Ecclesia hodie obtinet. S. THOMAS in 4. d. XXIII. art. IV. q. 2. docet, non tantum in alia infirmitate, sed etiam in alio ejusdem infirmitatis statu, ubi periculum mortis denuo imminet, quod prius evanuerat, administrandum esse hoc Sacramentum.

tum. SS. Benedictus XIV. de Synodo VII. cap. 23. probat monitum Vanespenii: nec Parochi nimium ſcrupuloſi in hoc ſe gerant; ſed ſi dubitent, an revera morbi ſtatus ſit mutatus, ſeu num idem, vel diverſum ſit vitæ periculum, in quo ægrotus verſatur, expedit, ut ad Sacramenti iterationem propendeant; eoquod hæc iteratio conformior ſit veteri Eccleſiæ conſuetudini, & per eam novum ſpirituale ſubſidium & levamen infirmo obveniat.

Quantum ad ordinem, quo adminiſtran- 85
dum eſt hoc Sacramentum, ſciendum, olim ſtatim poſt pœnitentiam ante Evchariſtiam unctos fuiſſe infirmos, quod ex auctoribus apud SS. Benedictum XIV. & Berti allegatis abunde conſtat: & teſte Alexandro Natali adhuc hodie apud Ciſtercienſes obſervatur. Movebat veteres ratio congrua: quia extrema unctio eſt quaſi complementum pœnitentiæ: & peccatorum reliquias abſtergit, animamque præparat ad cœleſtis panis ſuavitatem deguſtandam. Non deſunt tamen apud citatos auctores exempla antiqua, quæ extremam unctionem poſt Evchariſtiam fuiſſe adminiſtratam evincant, quæ eſt moderna Eccleſiæ Romanæ conſuetudo, cujus hanc æque rationabilem cauſam affert Suarez, quia ſcilicet Evchariſtia, ut cibus ad confortandum in via præbetur, & ideo ut detur, non eſt exſpectandum ultimum vitæ periculum. Hoc vero Sacramentum exeun-

exeuntium eſt, quaſi in ultimum ſubſidium inſtitutum. Quamvis autem, ut obſervat, ſæpe allegatus BENEDICTUS XIV. hæc moderna conſuetudo non ſit ſub gravi obligatione recepta: tutius tamen ac utilius fore judicat, Eccleſiæ Romanæ ritui ac uſui, à majori parte Eccleſiæ Catholicæ jam recepto, ſe accomodare. Debet inſuper quisque ſequi præſcriptum ſui ritualis dioeceſani. Hæc de extrema unctione ſufficiant.

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ DE SACRAMENTO ORDINIS.

Ordo, ſeu ſacra ordinatio, Græcis χειροτονία, manus impoſitio, vel χειροθεσία, manus extenſio, dicta (quamvis iſto vocabulo rarius utantur, illudque vel pro ſuffragio in electione per manus extenſionem ſignificato, vel ad exprimendos ordines Diaconatu inferiores uſurpent) generatim definiri poteſt, quod ſit ſacra ceremonia, qua traditur ſpecialis poteſtas ad munia Eccleſiaſtica obeunda: Quæ quidem definitio illis etiam ordinibus competit, qui ſecundum ali-

aliquos proprie dicta Sacramenta non ſunt. Equidem materiæ hujus ampliſſima foret pertractatio, eaque pro ſui dignitate utilis non minus quam jucunda; quoniam vero pleraque SS. canonum interpretes & Morales Theologi pleraque ſibi vendicant, alia autem & ego præoccupavi in diſſertationibus de Magiſtratuum Eccleſiaſticorum origine & creatione, & trinis de Eccleſiaſtica Hierarchia illuſtri Böhmero oppoſitis, hinc ad illos & ad iſtos Lector ſe aliquoties remitti patietur. Hoc autem loco præcipuas pertractabo quæſtiones, quæ ad dogma Catholicum, Hiſtoriam, & ſcholæ placita illuſtranda aptiores eſſe videbuntur. Et primo quidem capite de Sacramenti hujus exiſtentia, ordinum numero, quorumdam materia & forma: II. De ejus Miniſtro, ſubjecto, & effectu: III. De ſingulis ordinibus in ſpecie disquiram.

CAPUT I.

DE EXISTENTIA, ESSENTIA ET NUMERO ORDINUM.

§. I.

De Sacramenti ordinationis exiſtentia.

Agtiur hic de S. Ordinatione in genere, 1
prout ſaltem complectitur ſacerdotium, ſeu Epiſcopatum & Presbyteratum, quem utrum-

utrumque Sacramentis proprie dictis tota retro adnumeravit antiquitas, ita ut ante Lutherum id nemo in dubium revocaverit. Luthero paulo æquior Melanchton, qui cum antea ad mentem sui Magistri S. ordinationem e Sacramentorum albo expunxisset, eundem denuo restituit in posterioribus sui operis, quod locos communes inscripsit, editionibus, ibidemque fatetur: „ Mihi maxime „ placet etiam Sacramentis Baptismi, cœ„ næ (quæ Protestantibus proprie dicta „ Sacramenta sunt) & absolutionis addi or„ dinationem - - - quia hæc omnia man„ dato Evangelii præcipiuntur - - - & est „ addita promissio omnium maxima. „ Hodie autem Lutherani quamvis hunc ritum valde utilem, nec temere in Ecclesia negligendum esse doceant, pro Sacramento tamen illum non agnoscunt, eoquod mandato divino careat, ut videre est apud D. SCHUBERT in Theol. Polem. Tom. II. §. 95. & illustrem MOSHEMIUM in Elementis Theolog. dogmat. P. III. cap. IV. pag. 833. ubi non nisi duo Lutheranorum Sacramenta, Baptismus, & cœna admittuntur. CALVINUS quamvis & ipse plerumque non nisi duo Sacramenta profiteatur, alicubi tamen, nimirum Lib. IV. institut. cap. 14. num. 20. ordinem legitimis Sacramentis accenset. „ Ab„ rogatis illis legis antiquæ Sacramentis, „ inquit, duo a Christo Sacramenta institu„ ta - - - Baptismus & cœna Domini. Loquor autem de iis, quæ in usum totius Eccle-

„ Ecclesiæ sunt instituta. Nam impositionem manuum, qua Ecclesiæ ministri in „ suum munus initiantur, ut non invitus „ patior vocari Sacramentum, ita inter ordinaria Sacramenta non numero. „ & cap. 29. n. 31. „ Superest impositio manuum, quam - - - in veris legitimisque „ ordinationibus Sacramentum esse concedo. „ Id vero Catholicorum neminem fugit, quod Ecclesia in Tridentino Concilio adversus Protestantes solenniter congregata ordinem verum esse Sacramentum definiverit Sess. XXIII. can. 3.

Atque ita ordo definiri potest, esse Sacramentum Novæ Legis a Christo institutum, quo *specialis* traditur potestas circa corpus *Christi* verum & mysticum, una cum gratia Ecclesiastica munia rite obeundi. Dixi: *circa* corpus Christi, id est, vel consecrandum, vel distribuendum, aut consecrantibus ministrandi. Ideo non dixi: *in* corpus Christi; quippe quod solis Sacerdotibus competit: cum reliqui tamen ministri ad actiones liturgicas remote accedant, & Diaconi quoque potestatem acceperint, Eucharistiam a Sacerdotibus consecratam, fidelibus aliquando dispensandi.

Resolutio. Sacra ordinatio est verum novæ legis Sacramentum. Est dogma Catholicum. 2

Prob. I. Ad Sacramentum proprie dictum tria etiam secundum Protestantes re-

quiruntur. I. Ritus externus & ſenſibilis, II. a Chriſto permanenter inſtitutus, III. adnexam habens promiſſionem gratiæ: atqui ſingula in S. ordinatione deprehenduntur. Ergo eſt verum Sacramentum.

Prob. min. quoad I. partem. Impoſitio manuum cum oratione ſuper ordinandum pronuntiata eſt ritus externus, qui ſub ſenſus cadit, & ſemper adhibitus fuit, ita ut ea propter χειροτονία ſeu manus impoſitio appellatus fuerit. Id conſtat ex ordinatione Diaconorum Actor. VI. ordinatione Timothei I. Tim. IV. & II. Tim. I. 6. & ex univerſa Eccleſiaſtica Hiſtoria, librisque ritualibus.

3 *Min.* prob. quoad II. partem. Chriſtus Apoſtolos in ultima cœna ordinavit Sacerdotes, cum mandato: *Hoc facite in meam commemorationem.* Luc. XXII. & I. Corinth. XI. 24. & Paulus Actor. XX. teſtatur, *Epiſcopos a Spiritu S. poſitos eſſe regere Eccleſiam Dei.* Quia autem Chriſtus ſimul voluit, Eccleſiam a ſe inſtitutam usque ad conſummationem ſæculi perdurare, & ne portæ inferi adverſus eam prævalerent, aſſiſtentiam ſuam eidem adpromiſit, conſequenter voluit, ut ſemper exiſterent ordinati miniſtri, qui Eccleſiam ejus regerent; ſi enim aut Eccleſia unquam deficeret, aut legitimi non exſtarent miniſtri: non amplius eadem foret Eccleſia Dei, quam ipſe inſtituit, ſed alius quidam cœtus humana ratione inſtitutus, cujusmodi eſt ille Proteſtantium. Ergo ritus

iſte

iſte a Chriſto permanenter inſtitutus fuit. Cum inſuper Chriſtus in Eccleſia perpetuo perſeverare voluerit ſacrificium ſecundum ordinem Melchiſedech a ſe inſtitutum & in omni loco offerendum, perpetuo etiam voluit ſupereſſe ſacerdotes, legitime ad offerendum ordinatos. Idem Paulus ad Epheſ. IV. docet, præter Epiſcopos, alios quoque a Deo conſtitutos fuiſſe ſacrorum miniſtros: ;, Ipſe (Deus) dedit quosdam Apoſtolos, id ,, eſt, Epiſcopos, quosdam autem Evange- ,, liſtas, h. e. Presbyteros, alios autem Paſtores & Doctores &c. Mandatum iſtud religioſe exſecuti fuerunt Apoſtoli Actor. XIV. dum per ſingulas Eccleſias conſtituerunt *Presbyteros*. Et Paulus ad Titum I. ſcribit: *Hujus* rei gratia reliqui te Cretæ, ut conſtituas per civitates Presbyteros, ſicut & ego conſtitui tibi.

Prob. min. quoad III. partem. Promiſ- 4
ſio & collatio gratiæ ex iſtis Chriſti verbis Joan. XX. clare colligitur. ,, Sicut miſit me ,, Pater, ita ego mitto vos. Hæc cum di- ,, xiſſet inſufflavit, & dixit eis: Accipite ,, Spiritum S. Quorum remiſeritis peccata, ,, remittuntur eis: & quorum retinueritis, ,, retenta ſunt. ,, Et Paulus I. Tim. IV. 14. gratiam conferri docet per manus impoſitionem. ,, Noli negligere gratiam, ait, ,, quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per Pro- ,, phetiam (ſecundum revelationem præce- ,, dentem de tua dignitate factam) cum im-

„ poſitione manuum Presbyterii. „ & II. Tim. I. 6. „ Admoneo te, ut reſuſcites „ gratiam, quæ eſt in te per impoſitionem „ manuum mearum.

5 *Prob. II.* e conſtanti SS. Patrum traditione. S. IGNATIUS in epiſtola genuina ad Smyrnæos n. 7. „ Omnes, ait, Epiſcopum ſequimini, ut Jeſus Chriſtus Patrem; „ & Presbyterium ut Apoſtolos. Diaconos „ autem revereamini ut Dei mandatum. „ Hæc utique omnia divinam inſtitutionem ſapiunt. Plura hujus S. Martyris, aliorumque teſtimonia pro divina miniſtrorum Eccleſiæ inſtitutione collegi in mea diſſertatione I. de Hierarchia Eccleſiæ Catholicæ. cap. I. §. III.

Conſtitutiones Apoſtolicæ, quæ diſciplinam ſecundi ſaltem ſæculi referunt, Lib. II. cap. 32. ajunt, per Epiſcopum in manuum impoſitione dari Spiritum S. Concilia CHALCEDONENSE can. 2. BRACARENSE II. can. 3. TOLETANUM VIII. cap. 3. damnant Epiſcopos Simoniacos, qui propter pecunias ordinationem faciunt, & gratiam vendunt. Ergo eoipſo ſupponunt, gratiam legitima manuum impoſitione conferri, eamque Sacramentum eſſe, quod nomen ei diſerte tribuit LEO Magnus epiſt. 81. ad Dioſcorum Alexandrinum cap. I. ſtatuens, ne quolibet die, ſed poſt diem Sabbati, præmiſſis jejuniis ordinatio celebretur, *ne tantæ benedictionis* SACRAMENTUM *negligenter videatur impletum,*

pletum. S. Augustinus lib. II. contra Parmenianum cap. 13. adverſus Donatiſtas agens, qui Baptismum per hæreſin non extingui, jus autem Baptismum ſolenniter conferendi ſacerdotio annexum putabant amitti, ſcribit: „ Ipſi explicent, quomodo „ *Sacramentum* baptizati non poſſit amitti, „ & Sacramentum ordinati poſſit amitti. -- „ Si enim *utrumque Sacramentum eſt, quod* „ *nemo dubitat*, cur illud non admittitur, & „ iſtud amittitur? *Neutri Sacramento* injuria „ irroganda eſt. „ Similia ſcribit Lib. I. contra Donatiſtas cap. I. Aliorum Patrum teſtimonia coacervare ſupervacaneum exiſtimo; cum traditionem ſibi obſtare haud difficulter fateantur Proteſtantes.

Prob. III. E perpetuo utriusque Ec- 6
cleſiæ in oriente & occidente ad hanc usque diem conſenſu. Et de Latinis quidem Auguſtini tempore *nemo dubitabat:* & poſt ejus tempora ad Lutherum usque ne unus quidem hæreticorum, illorum quoque, quos Proteſtantes ceu Religionis ſuæ traduces venerantur, exſtitit, qui ordinationem Sacramentum eſſe negaverit. Waldenses ſiquidem ſeptem Sacramenta conſtanter profitebantur, ut ea propter etiam quando Oecolampadio & Bucero ſeſe aſſociarunt, exactum ab ipſis fuerit, ne plura deinceps, quam duo Sacramenta, Baptismi videlicet & cœnæ admitterent. Ut teſtatur illuſtr. Bossuetus Hiſtoriæ Variationum Lib. II. Idem Sacramentum confeſſus fuit Wicle-

rus, in hoc uno errans, quod probitatem miniſtri ad ejus valorem neceſſariam exiſtimaverit. Id non minus certum eſt de Huſſo, & fratribus Bohemis ex eodem BOSSUETO, utpote qui, licet a Catholicis alieni, aliquos tamen ſuorum ab Epiſcopis noſtris ordinari occulte ſtuduerunt, ne ſacerdotum defectu vero carerent Sacramento Altaris, de quo facto egi in opuſculo de Eccleſiæ Orientalis & occidentalis concordia. num. 141. pag. 227. De græcis vero, etiam diro ſchiſmate ab Eccleſia Latina avulſis teſtes illi ipſi ſunt, quos ſupra pro extrema unctione allegavi, & in dogmate de ſeptenario Sacramentorum numero eandem nobiſcum doctrinam propugnant, Proteſtantibus autem ceu novatoribus exprobrant, quod e Sacramentorum albo quinque eliminaverint. Jam autem quod ubique, quod ab omnibus, quod ſemper creditum eſt, hoc non eſt erratum, ſed traditum, ut loquitur TERTULLIANUS. Fieri enim omnino non potuit, ut populi tantis inter ſe ſtudiis & moribus diverſi ac toto orbe diſperſi, tantoque tempore in eundem errorem conſpiraverint, & tam ſpiſſas tenebras ad usque Lutherum Deus permittere valuerit.

7 OBJIC. I. Si probaretur divina inſtitutio, tunc ex illis Chriſti verbis: *hoc facite in meam commemorationem:* & ex iis: *accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis* &c. atqui ex his non probatur; quando enim inſtituitur Sacramentum, adeſſe debet materia

ſenſi-

sensibilis, quæ juxta Catholicos esset manuum impositio: at Christus in neutro loco adhibuit manuum impositionem. *Ergo* &c.

II. Impositio manus, de qua agit Paulus ad Timotheum, non conferebat gratiam sanctificantem, sed gratias *gratis* datas; quia illa gratia vocatur non χάρις, sed χάρισμα, quod denotat donum gratiæ gratis datæ: & quia dicit, *per Prophetiam*, quæ utique est donum gratuitum, non gratum faciens. Ergo &c.

III. Dicit Paulus: per impositionem manuum *Presbyterii:* atqui Presbyteri juxta Catholicos non possunt Sacramentum ordinationis conferre. Ergo non loquitur Paulus de ordinatione.

Resp. ad I. Quamvis scriptum haud sit, Christum imposuisse manus, scriptum tamen etiam non est, eum non imposuisse manus. Si autem largiamur, eum non adhibuisse impositionem manus in ordinatione Apostolorum, dicimus, eum tanquam summum Sacramentorum auctorem per excellentiam contulisse effectum ordinis Sacramenti sine Sacramento, uti in die Pentecostes effectum confirmationis sine impositione manus aut unctione, & absolutionem mulieris peccatricis absque Sacramento contulit. Quia autem Apostoli constanter hunc ritum adhibuerunt, inferimus, fuisse ipsis a Christo traditum; eoquod Apostoli non potuerint eidem gratiam alligare.

Resp. ad II. Vox χάρισμα denotat gratiam Dei gratum facientem, ut probat P. Berti de ordine cap. I. hinc Chrysostomus homil. I. in 2. ad Timoth. exponens verba Pauli: *admoneo te ut resuscites gratiam Dei*, scribit: „ Hoc est gratia χάρις Spiritus, „ quam accepisti ad Ecclesiæ institutionem, „ vel ad omne religionis obsequium: quippe „ in nobis est hanc vel extinguere vel exci„ tare. „ Alterum: *per Prophetiam*, exponi potest, quod Timotheus una cum gratia ordinis etiam donum prophetiæ acceperit, vel per Spiritum sanctum Paulo fuerit revelatum, quod debeat ordinari, uti etiam exponunt Castalio, Zegerus inter criticos sacros vol. VII.

Resp. ad III. Non hic agitur de ministro. Chrysostomus homil. XIII. in hanc Epist. per Presbyteros intelligit Episcopos; nam ipse Paulus Ep. I. ait: *per impositionem manuum mearum.* Vetus versio in Bibliis Waltonianis legit: *per impositionem manuum Episcopi.* Dein etiam hodie in ordinatione Presbyteri, una cum Episcopo Sacerdotes assistentes ordinandis manum imponunt. Tandem *Presbyterium* denotat *Synodum*, seu conventum plurium sacerdotum seu Episcoporum. Voluit ergo Paulus forte insinuare, Timotheum fuisse ordinatum per impositionem manuum Pauli, aliorumque Episcoporum, quos vocat *Presbyterium;* ex Apostolico enim canone tres jubentur Episcopi ordinare Episcopum.

Objic.

Objic. II. Si ordo verum Sacramen- 8
tum eſſet divinitus inſtitutum, tunc clerici
hoc Sacramento initiati jure divino diſtingue-
rentur a laicis: atqui hoc falſum eſt. *ergo.*
Min. Prob. I. Univerſus populus Chriſtia-
nus *Clerus* appellatur a S. Petro Apoſtolo e-
piſt. I. cap. V. 2. & *regale ſacerdotium.* I. ep.
II. 9. idem dicitur Apocal. I. 6. & V. 10.

II. Paulus ad Galatas III. 27. nullum in-
ter Chriſtianos agnoſcit diſcrimen; „ Qui-
„ cunque, ait, in Chriſto baptizati eſtis,
„ Chriſtum induiſtis. Non eſt Judæus ne-
„ que Græcus, non eſt ſervus neque liber,
„ non eſt maſculus neque fœmina; omnes
„ enim vos unum eſtis in Chriſto Jeſu. „
Ergo.

Resp. *conc. Maj.* & neg. min. Tota e-
nim Diſſertatione I. de Hierarchia iſtud cle-
ricorum laicorumque diſcrimen adverſus il-
luſtrem Boehmerum demonſtratum a me
fuiſſe confido. Igitur ad I. in contrarium
probationem dico, fideles appellari *clerum*, ſeu
ſortem Domini electam comparate ad Judæos
& gentiles, ad hæreditatem Domini non e-
lectos. Sic & olim Hebræus populus com-
parate ad reliquas nationes nomine *cleri*
compellatus fuit; quin tamen legitime inde
inferri poſſit, Judæos omnes ſacerdotes &
Levitas fuiſſe, nullumque inter iſtos diſcri-
men divino jure introductum fuiſſe. Quan-
do autem Chriſtiani omnes dicuntur *Sacer-
dotes*, iſta appellatio in ſenſu improprio illis

 attri-

attribuitur, propter ſpirituale ſacrificium orationis, laudis & contriti cordis, quod Deo offerunt. Secus ſequeretur, omnes eſſe *Reges;* quia ſacerdotium *regale* de iis praedicatur.

Resp. ad II. *Diſt.* Inter Chriſtianos non eſt diſcrimen, quod apud Deum non ſit acceptio Perſonarum quoad vocationem ad fidem, gratiam & ſalutem, *conc.* quoad gradus, officia, & munera a Deo inſtituta, *neg.* ut enim ait idem Apoſtolus, Eccleſia unum corpus eſt e multis membris conſtans, *omnia autem membra non eundem actum habent.* vid. Rom. XII. 4. & I. Corinth. XII. 17.

9 Objic. III. Tertullianus lib. de exhortatione caſtit. cap. VII. haec ſcribit: „ Inde igitur apud nos plenius atque inſtructius „ praeſcribitur, unius eſſe matrimonii oportere, qui alleguntur in ordinem ſacerdotalem. Usque adeo quosdam memini digamos loco dejectos. Sed dices: ergo caeteris licet, quos excipit. Vani erimus, „ ſi putaverimus, quod ſacerdotibus non liceat, laicis licere. *Nonne & laici ſacerdotes* ſumus? Scriptum eſt, regnum quoque nos & ſacerdotes Deo & Patri ſuo fecit, „ differentiam inter ordinem & plebem conſtituit Eccleſiae auctoritas, & honor per „ ordinis conſeſſum ſanctificatus. Adeo ubi Eccleſiaſtici ordinis non eſt conſeſſus, „ & offers & tinguis, & Sacerdos es tibi ſolus. Sed ubi tres, Eccleſia eſt, licet lai-

„ ci. - - Igitur ſi habes jus ſacerdotii in te-
„ met ipſo, ubi neceſſe eſt, habeas oportet
„ etiam diſciplinam ſacerdotis, ubi neceſſe
„ eſt habere jus ſacerdotis. Digamus tin-
„ guis (baptizas) digamus offers? Quanto
„ magis laico digamo capitale eſt agere pro
„ ſacerdote, digamo facto auferatur ſacer-
„ dotium: „ inde autem duo conſequuntur. I. Omnes Chriſtianos ex mente Tertulliani eſſe ſacerdotes. II. Diſcrimen inter Clerum & populum Eccleſiæ ſolum, id eſt, humana, non divina auctoritate eſſe ſtatutum, adeoque ordinem proprie dictum Sacramentum non eſſe.

Resp. I. Hunc locum Tertulliani quantum ad differentiam clericorum a laicis fuſe expendi diſſertatione I. de Hierarchia num. 25. ſeq. Quantum autem ad laicorum ſacerdotium diſſertatione II. de fictitio laicorum jure ſacerdotali pertractavi, quo lectorem remitto. Nunc autem

Resp. II. Cum iſtum librum Tertullianus ſcripſit jam in hæreſin lapſus, idem reponi Proteſtantibus poteſt, quod S. Hieronymus reſpondit Helvidio: *de Tertulliano quidem nihil amplius dico, quam Eccleſiæ hominem non fuiſſe.* Et quod S. Pacianus Epiſcopus Barcinonenſis reſpondit Sympronianо Novatiano Epiſt. 3. *Tertullianus poſt hæreſin veſter eſt.* Prius vero quam in hæreſin declinaſſet, ille catholicum dogma de Clericorum a laicis differentia conſtanter aſſeruit,

ut

ut oſtendi citata Diſſertat. I. de Hierarchia a n. 21. ſeq.

Resp. III. Tertullianus, ut paradoxum ſuum de interdictis ſecundis nuptiis perſuaderet, omnia undique argumenta conquirit; & quoniam fideles non dubitabant, ſacerdotes unius uxoris viros eſſe oportere, ideo infert, laicos quoque a bigamia prohiberi, quoniam & ipſi a Petro ſacerdotes dicuntur, licet ſenſu quodam improprio, eoquod abſente ſacerdote in neceſſitate baptizare, ſeipſum Euchariſtia, a ſacerdote conſecrata domi communicare, aut miſſam ſiccam, remota ſcilicet conſecratione, celebrare valeant. De improprio iſto ſacerdotio idem Tertullianus loquitur lib. de Monogamia cap. 12. „ Quum extollimur & inflamur adverſus „ Clerum, tunc unum omnes ſumus (Sacerdotibus pares eſſe volumus nos laici) „ tunc omnes ſacerdotes; quia ſacerdotes „ nos Dei & Patri ſuo fecit. Quum ad per„ æquationem diſciplinæ ſacerdotalis pro„ vocamur, deponimus infulas, & impares „ ſumus. „ Hoc eſt: quando a nobis laicis, qui nos quoque ſacerdotes jactamus, poſtulatur, ut impoſitam ſacerdotibus continentiæ legem ſervemus: ſtatim fatemur, nos veros ſacerdotes non eſſe, nec eadem lege obſtringi.

Resp. IV. Quod attinet differentiam inter ordinem & plebem, poteſt aliquo ſenſu cum Tertulliano dici, eam, licet divino jure con-

conſtitutam, Eccleſiæ quoque auctoritate introductam eſſe; quatenus hæc quosdam e laicis digniores ſeligit, & ad ſacros ordines promovet, qui ordinatione ſuſcepta jure divino a cæteris laicis diſcernuntur. Plura de hoc argumento legi poſſunt citata jam diſſertatione.

§. II.

De Numero SS. Ordinum.

Quamvis quilibet Eccleſiaſticus ordo ſecun- 10
dum ſe ſit ſacer, eoquod tribuat poteſtatem quamdam circa ſacras functiones: dividuntur tamen in *ſacros* & non ſacros. Ordines *ſacri* olim ſpecialiter dicebantur ſacerdotium, prout includit Epiſcopatum, & diaconatus, ut patet ex cap. à multis IX. *de ætate & qualitate & ordine præficiendorum:* ubi tamen pro Urbano I. legendus Urbanus ſecundus, qui in Concilio Beneventano MXC. indict. XIV. V. Kal. April. hoc ſanxit capitulum, quod ex Cod. M.S. monaſterii *Ananienſis*, qui nunc exſtat in Bibliotheca Colbertina, edidit Stephanus Baluzius in addit. ad Petri de Marca Lib. VIII. *de concordia ſacerdotii & imperii* cap. XIII. „ Nullus deinceps in Epiſcopum eligatur, niſi „ qui in ſacris ordinibus religioſe vivens in„ ventus eſt. *Sacros* autem ordines dici„ mus diaconatus atque Presbyteratus. „ Hos ſiquidem ſolos primitiva legitur Ec-

„ cleſia

„ clesia habuisse; super his solis præceptum „ habemus Apostoli. „ Subdiaconos vero &c. videantur cætera in cap. *nullus*. IV. dist. LX. Dicebantur autem *sacri* 1. quod illi soli essent à Christo instituti, & Sacramenta crederentur. 2. Quod essent hierarchici, cum jurisdictione in plebem. 3. Quod semper in Ecclesia usitati fuerint. 4. Quod seorsim ab aliis ob eximiam sanctitatem, hoc est, ad altare traderentur. 5. Quod soli sacerdotes & Diaconi Evcharistiam attingere possent. 6. Quod ex iis solis Episcopi assumerentur. A sæculo autem XII. *sacris* ordinibus accensetur etiam subdiaconatus: dicunturque hodie sacri, quia sacerdotium & diaconatus versantur circa corpus Christi rem sacratissimam: subdiaconatus autem circa vasa consecrata; & ideo etiam iis continentia indicitur, ut sancti & mundi sint, qui sancta tractant, ut observat S. THOMAS in 4. d. 24. q. 2. a. 1. Dicuntur etiam *majores*, ob majorem dignitatem, quæ oritur ex eo; quod propius ad sacra mysteria accedant. Priusquam subdiaconatus fieret ordo sacer, sacerdotium solum, & diaconatus dicebantur ordines *majores*, ut in Sacramentario GREGORII M. Græci ordines dividunt in eos, qui *intra*, ut diaconatus, Presbyteratus, Episcopatus: vel *extra sanctuarium* conferuntur, ut cæteri. Hic jam inquiritur, quinam in Ecclesia Latina & Græca fuerint olim & nunc sint ordines: & num singuli sint Sacramenta.

RESO-

Resolutio I. Septem ab antiquo jam 11
ſunt in Eccleſia Latina ordines, ſacerdotes, diaconi, ſubdiaconi, acolythi, exorciſtæ, lectores, oſtiarii: ita Concil. Trident. Seſſ. XXIII. cap. I.

Prob. Horum omnium mentionem facit ſæculo tertio medio Cornelius Pont. Rom. Epiſt. ad Fabium Antiochenum apud Euſeb. Hiſt. Eccleſ. VI. 43. Concil. Carthaginense IV. ad finem ſæc. IV. Can. IV. ſeqq. Inter Epiſtolas Hieronymi eſt quædam auctoris antiqui de 7. gradibus Eccleſiaſticis. Iidem recenſentur in Sacramentario Gregorii M. atque ita auctores deinceps, qui de rebus Eccleſiaſticis ſcripſerunt, omnes ſeptem commemorant. Ubi tamen obſervari velim, ſacerdotum nomine intelligi etiam Epiſcopos, qui veri ſunt ſacerdotes, etſi jure divino ſimplici Presbytero ſuperiores. *Hypodiaconorum*, *Lectorum*, *Acolythorum* ſæpe meminit in ſuis Epiſtolis S. Cyprianus. *Oſtiariorum*, Concil. Toletanum I. can. IV. *Exorciſtarum* Concilium Carthaginense IV. can. XC. ut alia jam taceam.

Equidem occurrunt quandoque alia or- 12
dinum nomina, ut *Cantorum*, ſeu *Pſalmiſtorum*, *Foſſariorum*, qui etiam dicebantur *laborantes* & *copiatæ*, quibus cura erat demandata ſepeliendi defunctorum corpora. *Cuſtodum* Martyrum, qui cuſtodiebant Eccleſias, ubi Martyres erant ſepulti. *Notariorum*, qui curam habebant inſtrumentorum,

&

& tabularum Ecclesiae. *Catechistarum*, qui instruebant catechumenos. *Parabalanorum*, qui ad curanda debilium corpora aegra erant deputati &c. sed ut sapienter observat SS. BENEDICTUS XIV. lib. VII. de Synod. dioecesf. cap. XXV. n. 8. hi non erant proprie ordines distincti, sed varia munia, quae quandoque Clericis minoribus conferebantur; quemadmodum quidam ex clero constituebantur *Defensores*, *oeçonomi*, Ecclesiarum *Procuratores* &c.

13 RESOLUTIO II. In Ecclesia Graeca *Acolythorum*, *Exorcistarum*, & *Janitorum* ordines nunquam exstitisse videntur, & adhuc hodie inter ordines solum numerantur *Episcopi*, *Presbyteri*, *Diaconi*, *Subdiaconi*, & *Lectores*.

Prob. I. pars. Constitutionum Apost. lib. VIII. cap. V. 16. 17. 18. 21. 22. ubi ritus ordinationum singulorum ordinum describitur, nulla fit mentio illorum: imo de *exorcistis* dicitur, eos non fieri ordinatione. Liturgia S. MARCI, Author vitae S. CYPRIANI. Concilium SARDICENSE can. X. S. EPHREM. serm. paraenetico de secundo Christi adventu, JUSTINIANUS Leg. 45. cod. de Episc. & Clericis. Novel. III. & CXXIII. cap. 10. 13. 14. 19. Concil. CONSTANTINOPOLITANUM IV. Act. 10. can. V. & Epist. IGNATII ad Hadrianum II. ad finem VIII. aliique Authores Graeci, ubi non tantum majores commemorant ordines, sed minora quoque officia recensent,

censent, nullam tamen faciunt mentionem *Acolythorum*, *Exorcistarum*, & *Ostiariorum*. Ad hæc INNOCENTIUS IV. in Epist. ad OTHONEM Tusculanum Cardinalem, sedis Apostolicæ in Cypro legatum, scribit: „ Volumus & expresse præcipimus, ut Episcopi Græci septem ordines secundum morem Ecclesiæ Romanæ de cætero conferant, cum hucusque tres de minoribus circa ordinandos neglexisse, & prætermisisse dicantur. Illi tamen, qui jam sunt taliter ordinati per ipsos, ob nimiam ipsorum multitudinem in susceptis ordinibus tolerentur. „ Denique ex eorum Euchologiis constat, eos non aliam infra subdiaconos, quam *lectoris* ordinationem habere. BENEDICTUS XIV. in sua constitutione, *Etsi pastoralis*, super ritibus Græcorum §. VII. postquam observaverat, solum *lectoratum* videri apud Græcos existere, statuit; ut si lector a græcis ordinatus ad majores ordines ritu latino conferendos de benignitate sedis Apostolicæ admittatur, is antequam subdiaconus ordinetur, tres minores ordines omissos debeat ritu latino suscipere. Si vero præter Lectoris ordinem ad subdiaconatum etiam Græco ritu ascendit, & ex dispensatione itidem Apostolica facultas sibi facta sit cæteros ordines ritu latino suscipiendi, antequam inter diaconos cooptetur, minoribus ordinibus Exorcistatum tantummodo supplere cogitur; cum per subdiaconatum, græco ritu collatum, Acolythatum & Ostia-

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

Oſtiariatum recepiſſe cenſetur. Ergo Græci carent exorciſtatu: cæteri cenſentur in ſubdiaconatu involuti.

14 Objic. I. Cum clariſſimo D. Petro Collet in continuatione Prælectionum Tournelii. Tom. VII. Auctor epiſtolæ ad Antiochenos, S. Ignatio Antiocheno falſo adſcriptæ, ſalutat ſanctum Presbyterium, ſacros Diaconos, Subdiaconos, Lectores, *Cantores*, *Laborantes*, *Exorciſtas*, *Confeſſores*: Ergo non ultimus erat lectorum ordo, ſed alii erant inferiores.

Resp. Cum inter omnes eruditos hodie certum ſit, epiſtolam iſtam, cujus veterum nullus meminit, ſuppoſititiam eſſe, nihil inde ſolidi deduci poteſt. Falſarius iſte forſan Latinus, ejusque epiſtola propter venerabile S. Martyris nomen in Græcum deinceps translata fuit. In genuinis autem S. Ignatii epiſtolis nihil ſimile occurrit. In epiſtola ad Smyrnæos ſalutat Deo dignum Epiſcopum, & Deo decorum Presbyterium, & conſervos ſuos diaconos! nec aliorum in aliis epiſtolis meminit. Cæterum hic ipſe fabricator omittit *Acolythos*, & alios commemorat, qui quidem in Eccleſia fungebantur quibusdam officiis, non vero ordinibus proprie dictis.

15 Objic. II. cum eodem. Dionysius Areopagita, vel quisquis auctor, certe antiquus, lib. de Eccleſiaſt. Hierarchia cap. 3. præter *lectores* enumerat etiam alios, *quorum non nulli foribus templi aſſiſtunt: cæteri autem*

autem aliud quidpiam, quod ſit ſui ordinis agunt. Ergo.

Resp. Auctor iſte, quiscunque fuerit, nequidem *lectorum* proprio vocabulo meminit, ſed ritum S. Liturgiæ deſcribens ait: *Per miniſtros* διὰ τῶν λειτουργῶν *conſequenter ſacrarum ſcripturarum lectio recitatur.* Atqui obſervante S. Maximo λειτουργῶν nomine Dionyſius *Diaconos* intelligit, ut etiam probat Suicerus in theſauro Eccleſiaſtico V. διάκονος & λειτοῦργος. Pergit: *Porro miniſtrorum* λειτουργῶν *quidem alii clauſis templi foribus aſſiſtunt, alii vero aliud quidpiam quod ſit ordinis ſui* τάξεως *agunt.* Haud ignotum eſt, Diaconos olim portas virorum, Diaconiſſas autem illas fœminarum cuſtodiiſſe. τάξεως autem nomine non ſacra ordinatio, quæ χειροτονία appellatur, intelligi debet, ſed denotat ordinatam diſpoſitionem, ut videre eſt apud Suicerum in lexico, ſub eadem voce. Cæterum idem Auctor ſub nomine Dionyſii capite citato in contemplatione §. 6. etiam Catechumenorum *ordinem* τάξιν commemorat: quem utique ne pro inferiore quidem ordine agnoſcet clar. Colletus. Igitur loquitur de miniſtris in genere, non autem de ordinibus inferioribus in ſpecie.

Objic. III. cum eodem P. I. cap. III. n. 16
63. Conſtitutionum Apoſtol. lib. III. cap. 11. ſtatuitur: „ Non etiam poteſtatem damus „ Presbyteris ordinandi diaconos, diaconiſ- „ ſas, vel lectores, vel miniſtros ὑπηρέτας,

 „ vel

„ vel cantores vel Janitores, ſed Epiſcopis „ ſolis. Hic eſt enim Eccleſiaſticus ordo „ τάξις & concentus. „ Ergo licet lib. VIII. earundem conſtitutionum non occurrant ritus inaugurandi cantores, oſtiarios &c. certum eſt tamen, eos & vere ordinatos fuiſſe, & non ab aliis, quam Epiſcopis ordinari potuiſſe.

Respond. Si ex hoc loco aliquid probatur, tunc etiam probatur, diaconiſſas *vere* ordinatas, & in numero Clericorum conſtitutas fuiſſe, idque multo fortius, quoniam per manus impoſitionem (utique ſolum ceremonialem, ſine intentione ordinandi) creari ſolebant, ut conſtat ex lib. VIII. conſtit. Apoſt. cap. 19. Cum autem eædem conſtitutiones expreſſe dicant, confeſſores, Virgines, viduas, exorciſtas, non fieri *ordinatione*, ſequitur, varios quidem gradus & miniſteria in Eccleſia fuiſſe, ab Epiſcopis conſtitutos, non autem veros ordines. Quemadmodum ergo Virginum conſecratio ordinarium ſemper munus Epiſcoporum fuit, nec inde tamen conſequitur, eas verum ordinem recepiſſe: ita licet Epiſcopis propria fuerit inferiorum ordinum collatio, non ſequitur, eos veros ordines fuiſſe.

17 Objic. IV. cum eodem Colleto. Synodus Laodicena can. 24, decernit: „ Non „ oportet ſacratos, ſeu ut alii legunt, Cle- „ ricos ſervientes, a Presbyteris usque ad „ Diaconos, & deinceps quemlibet Eccle-

„ ſiaſtici

„ ſiaſtici ordinis usque ad miniſtros (ad „ mentem Cabaſſutii ſubdiaconos) vel le- „ ctores, vel cantores, vel exorciſtas, vel „ Aſcetas (Monachos) in cauponam ingre- „ di. „

Resp. Hoc canone denuo ſolum probatur, varia in Eccleſia græca fuiſſe miniſteria, gradus propter decorem Eccleſiaſtici ordinis τάξεως, cujus hic mentio fit, non autem omnes veri nominis ordines fuiſſe. Secus & Monachatus iisdem accenſendus fuiſſet. Nec juvat Colletum exceptio, quod alia verſio, nempe Isidori Peccatoris, ſic habeat: *aut Exorciſtas, aut oſtiarios, aut etiam eos, qui in propoſito continentiæ ſunt.* Ubi vox *etiam* claſſem *continentium* ab oſtiariorum claſſe penitus diverſum eſſe oſtendit. Non juvat, inquam; quoniam pſeudo-Iſidoro recte præferendus eſt textus originalis græcus, ubi ſimpliciter habetur ἤ τοῦ τάγματος τῶν ἀσκητῶν ſine particula *etiam.* Uno verbo, hoc canone, aliisque in locis illæ cum Clericis enumerantur Perſonæ, quæ canoni Eccleſiaſtico erant inſcriptæ, & de Eccleſiæ redditibus ſuſtentabantur, cujusmodi erant etiam diaconiſſæ, Virgines, viduæ, Aſcetæ, quamquam meri laici, digniorem tamen præ reliquis laicis locum in Eccleſia conſecuti. Taceo, quod iſto canone prætermittantur *Acolythi*, quos etiam Græcorum ordinibus accenſere cupit Clariſſimus Colletus. Cum quo

18 Objic. V. S. Epiphanius in expositione fidei cap. 21. post hæresin 80. postquam Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos & Diaconissas recensuit, „ Postea, inquit, sequuntur exorcistæ & linguarum interpretes - - - sequuntur laborantes, qui mortuorum corpora curant; tum Janitores, & reliqui disciplinæ causa ordines constituti. „ Ergo exorcistæ perinde ac linguarum interpretes, item Ostiarii, quin & laborantes, neque hi solum, sed alii etiam disciplinæ causa constituti, seu Acolythi forent, seu ad officium quoddam non absimile deputati inter vere ordinatos censebantur.

Resp. nego *conseq.* Nam istos omnes non fieri *ordinatione*, diserte statuunt constitutiones Apostolicæ. Itaque Epiphanius varia munia recenset, disciplinæ causa, seu ad ordinis decentiam instituta, ut dictum est num. præced.

19 Objic. VI. Symeon Thessalonicensis ait: duæ sunt extra sanctuarium manuum impositiones, lectoris & hypodiaconi. Sunt & aliæ, officiorum videlicet & deputati, sive ut ita dicam, ceroferarii, quæ ante lectorem celebratur. Ista nescio qua ratione non fit amplius, & nunc veluti defecit. Vigebat autem ante paucum tempus in Thessalonicensi Ecclesia, & in antiquis formulariis describitur.

Resp.

Resp. Sit, quod ſcribit hic auctor; plus inde non ſequitur, quam extra ſanctuarium quasdam fuiſſe celebratas ceremonias, pro conferendis officiis, non veris ordinibus. Certum interea eſt, in graecorum Euchologiis nullam Oſtiarii, Exorciſtæ & Acolythi occurrere ordinationem, qui vel in lectoratu, vel ſubdiaconatu incluſi videntur.

Objic. VII. Gabriel, Philadelphien- 20
ſis metropolita, omnes ſeptem Latinorum ordines, quamquam diverſo ordine enumerat. Ergo.

Resp. Veroſimile eſt, hunc græcum, in latio Patavii ſtudiis imbutum, & poſt turbatas ſuæ Eccleſiæ res Venetiis commorantem, ordines Latinorum potius, quam græcæ Eccleſiæ recenſuiſſe. Nec iſte unus tot orientalium ritualibus libris prævalere poterit. Quod Colletus adhuc objicere potuiſſet ex epiſtola Joannis VIII. Rom. Pont. ad græcorum Imperatores, ubi meminit *Acolythatus*, nullius eſt roboris; quia, præterquam quod prætermittat oſtiarios, exorciſtas, ſubdiaconos, clarum eſt, eum Acolythi nomine ſubdiaconatum græcorum intellexiſſe.

Resolutio III. Probabile eſt, ſubdia- 21
conatum & ordines minores non eſſe vera Sacramenta.

Prob. Illi ordines non ſunt Sacramenta, qui nec inſtituti ſunt a Christo, nec Spiritum ſanctum, ſeu gratiam ſanctificantem conferunt; atqui ſubdiaconatus & reliqui or-

dines *minores*, quibus olim accenſebatur, nec ſunt a Chriſto inſtituti, nec conferunt Spiritum ſanctum: ergo non ſunt Sacramenta. *Maj.* eſt evidens; eoquod Eccleſia Sacramenta inſtituere nequeat, collatio autem gratiæ ſit effectus proprius Sacramenti. *min.* prob. quoad I. URBANUS II. in Concil. BENEVENTANO Can. I. ſupra n. 10. allegatus, expreſſe ait: „ ſacros autem ordines dicimus Diaconatum & Presbyteratum. „ Hos ſiquidem *ſolos* primitiva legitur Eccleſia habuiſſe, ſuper *his ſolis* præceptum habemus Apoſtoli. Idem dicit GRATIANUS d. XXI. „ Apoſtoli in ſingulis civitatibus Epiſcopos „ & Presbyteros ordinaverunt. Levitas au„ tem (Diaconos) ab Apoſtolis ordinatos „ legimus: *Subdiaconos & Acolythos proce„ dente tempore Eccleſia ſibi conſtituit.* „ Idem prorſus dicit MAGISTER ſententiarum L. IV. d. XXIV. & S. THOMAS, quamquam alias Adverſarii eum pro ſe allegent, ſcribens tamen in cap. III. Epiſt. I. ad Timoth. lectione 2. Magiſtrum ſecutus ait: „ In pri„ mitiva Eccleſia ſolum erant tres ordines „ - - - Epiſcoporum, Presbyterorum, & „ miniſtrorum (id eſt Diaconorum) & non „ dividebantur per diverſos gradus, ſed o„ mnes erant in uno ordine propter pauci„ tatem miniſtrorum, & propter novitatem „ Eccleſiæ. „ Ante hos omnes idem affirmarunt cum pluribus AMALARIUS initio ſæculi IX. Lib. II. de divin. offic. Cap. VI. & apud eum AMBROSIASTER, ſeu Author commen-

mentarii in Epiſtolas Pauli, falſo Ambroſio adſcripti.

Min. probat. 2. Si ab ipſo Chriſto inſti- 22
tuti fuiſſent hi ordines, tunc eosdem deberet etiam agnoſcere Eccleſia græca, quæ in numero Sacramentorum ſemper cum Eccleſia latina, tam ante quam poſt ſchisma conſenſit: atqui hæc tres ordines minores nunquam agnovit, nec hodie confert; ſubdiaconatum autem & lectoratum pro Sacramentis non habet, ſed pro ordinibus minoribus: Ergo &c.

Min. prob. quoad II. partem. Gratia 23
Sacramenti ordinis confertur per manus impoſitionem, ut etiam S. THOMAS docet in 4. d. 15. q. 1. a. 1. & III. p. q. 84. a. 4. & per formam prolatam ab Epiſcopo, qua inſinuatur conferri Spiritum ſanctum: atqui ſubdiaconatus, ordinesque cæteri minores non adminiſtrantur per impoſitionem manus Epiſcopi, ſed per porrectionem inſtrumentorum, nec Epiſcopus ordinans utitur forma, qua exprimeretur collatio Spiritus ſancti. ergo &c. *min.* prob. & *Majori* additur robur. Concil. CARTHAGINENSE IV. poſtquam can. III. & ſeq. dixerat, Epiſcopum, Presbyterum & diaconum ordinari per manuum impoſitionem, can. V. ſtatuit; „ Subdiaconus „ cum ordinatur, quia manus impoſitionem „ non accipit, patenam de Epiſcopi manu „ accipiat vacuam, & calicem vacuum, de „ manu vero Archidiaconi urceolum &c. „

 Ean-

Eandem manus Epiſcopi impoſitionem Subdiaconatui cæterisque denegant Sacramentarium GREGORII M. ordo Romanus & hodiernum Pontificale Romanum. Denique infra probabo, materiam eſſentialem Sacramenti ordinis eſſe, ſemperque fuiſſe ſolam impoſitionem manus.

24 Eadem pars probatur II. Si Subdiaconatus, & cæteri ordines minores conferrent gratiam Spiritus ſancti, & ſemper fuiſſent habiti pro Sacramentis, tunc nulla fuiſſet ſat conveniens ratio, cur non dicerentur *ſacri*, quemadmodum ordines majores. Nec obeſt, ſi dicatur, Subdiaconatum dici hodie *ſacrum*. Id enim ideo ſolum contigit; quod liceat Subdiacono ſacra contingere vaſa, & miniſtrare Diacono: non autem quod nunc novam gratiam conferat. Quæcunque enim Subdiaconus exercet munia, ea omnia a laico exhiberi poſſunt, quod de Sacramento ordinis dici non poteſt; cum enim ordo imprimat characterem, & jure divino a laicis diſtinguat, poteſtatem aliquam tribuere debet, quæ non ſit communis laico: atqui laici ex ſola licentia Epiſcopi absque ulla ordinatione attingere poſſunt ſacra vaſa. *ergo* &c. Nec ſequitur inde, Diaconatum quoque non eſſe Sacramentum, quoniam etiam laici olim ſibi ipſis diſpenſabant Evchariſtiam. Nam iſtud non erat miniſterium ordinis in laico, ſed actus conjunctus communioni, cum Epiſcopus vel Presbyter in manus fidelium deponebat Evchariſtiam, ab ipſismet ori inferen-

rendam. Ministerium ordinis proprium exerceri debet erga alios. Sacerdos quidem se ipsum communicat, quia sacrificat.

25 Objic. I. Omnes ordines sunt institutionis divinæ: ergo omnes sunt Sacramenta. *antec.* prob. quando non potest ostendi ordinum Subdiaconatus & minorum initium in aliquo Concilio, sed semper in Ecclesia fuerunt usurpati, tunc juxta notissimam S. Augustini regulam Lib. IV. contra donatistas Cap. XXIV. n. 31. ab Apostolica authoritate traditos fuisse rectissime censendum est: atqui non potest eorum ostendi initium in aliquo Concilio vel decreto Romani Pontificis: Ergo &c.

Resp. *neg. antec.* ad prob. *neg. min.* vel potius ejus suppositum, quod universa Ecclesia semper habuerit istos ordines, nam tres non habuit, nec nunc habet Ecclesia græca: quos autem Ecclesia latina agnovit semper, eos tamen pro Sacramentis non habuit. Dein etiamsi largiri vellem, Apostolos instituisse ordines minores, nondum sequeretur, id eos fecisse ex traditione divina, sed Apostolico-humana: secus dicere non debuisset Urbanus II. Subdiaconatum & reliquos ordines minores in primitiva Ecclesia non fuisse usitatos, vel cognitos.

26 Objic. II. Subdiaconatus & 4. minores ordines a Conciliis & Patribus conferri dicuntur ab Episcopo per *ordinationem:* atqui hoc nomine intelligitur collatio veri Sacramenti.

menti. *ergo* &c. *min.* prob. in Concilio Carthaginensi IV. poſtquam fuiſſent facta decreta de ordinatione Subdiaconi & reliquorum, agitur deinceps de Pſalmiſta, ac conſecratione Monialis, ubi nomen *ordinationis* omittitur: ergo ordinatio dicit verum Sacramentum.

Resp. *Conced. maj.* nego *min.* ad prob. dico, ideo in conſtitutione Pſaltis & conſecratione Monialis omitti nomen *ordinationis*, quia Concil. Carthaginense & tota Eccleſia latina nunquam admiſit plures, niſi VII. ordines, etiamſi omnes iſtos pro *Sacramentis* non habuerit. Igitur Pſalmiſta eſt tantum officium, non ordo. Cæterum ipſum Concil. Carthag. Subdiaconatum & inferiores ordines ſatis diſtinguit ab ordinibus, qui Sacramenta ſunt, per denegatam impoſitionem manus, quæ eſt materia Sacramenti a Chriſto determinata.

27 Objic. III. Concilium Florentinum in decreto ad Armenos, ait: „ Sextum Sacramentum eſt ordinis, cujus materia eſt „ illud, per cujus traditionem confertur ordo. „ Dein recenſet inſtrumenta ſingulorum ordinum majorum & minorum, ergo quilibet ordo eſt Sacramentum.

Resp. Eugenius IV. definire noluit quæſtionem, tunc minime controverſam de numero Sacramentorum ordinis, ſed Armenos inſtruere de ritibus Eccleſiæ latinæ in adminiſtratione Sacramentorum. Cur enim de

de Epiſcopatu nullam fecit mentionem, qui tamen juxta multos, & ipſum Berti eſt Sacramentum diſtinctum a Presbyteratu. Quod attinet materiam ordinis, dicam poſtea. Ex eo autem, quod ordo ab Eugenio dicatur Sacramentum, non ſequitur, *quemlibet* ordinem eſſe Sacramentum, ſed ſufficit, ſi hoc de uno vel altero verificetur.

Objic. IV, Tridentinum Concilium de- 28
finit, ordinem eſſe Sacramentum, & Can. II. præter ſacerdotium eſſe in Eccleſia Catholica alios ordines majores & minores, per quos velut per gradus quosdam in ſacerdotium tenditur. Can. VI. definit, in Eccleſia eſſe *hierarchiam* divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtet ex Epiſcopis, & Presbyteris & miniſtris. Ergo quilibet ordo eſt Sacramentum.

Resp. Cum P. Berti fateatur, Tridentinum nihil in hac controverſia voluiſſe ſtatuere, non video, quid hoc argumentum demonſtret. Ordo eſt Sacramentum, *conced.* Ergo *quilibet* ordo eſt Sacramentum, nego. Nullum omnino ordinem, nequidem Presbyteratum & Epiſcopatum, eſſe Sacramentum, docebant Proteſtantes: dicebant, ordines omnes eſſe humana inventa, nullam dari hierarchiam divinitus inſtitutam. Hoc unum volebat damnare, non autem definire, an præter Epiſcopatum & Presbyteratum alii ordines omnes ſint Sacramenta; ideo uſum fuit

fuit vocabulo *ministrorum*, ut nequidem Diaconos, minus cæteros nominatim exprimeret.

29 OBJIC. V. S. CYPRIANUS lectores dicit *plebi universæ pro honoris sui claritate conspicuos:* quod sonare videtur aliquid nudo ministerio legendi præstantius. Quodsi autem lectoratus est Sacramentum, cur non alii ordines?

RESP. Clerici omnes pro honoris sui, quem ex Ecclesiæ institutione acceperunt, authoritate sunt universæ plebi conspicui, quemadmodum Magistratus civiles; non enim dicit CYPRIANUS, hunc honorem esse à *Christo* institutum.

30 OBJIC. VI. S. HIERONYMUS lib. adversus VIGILANTIUM invehitur in Episcopos, qui non ordinant Diaconos, qui non prius uxores duxerint, & nisi prægnantes viderint uxores Clericorum: Christi Sacramenta non *tribuunt.* Hic tam ordinatio Diaconi, quam Clericorum aliorum appellatur Sacramentum. *Ergo.*

RESP. S. Hieronymus arguit Episcopos, qui Clericos inferiores, qui utique nulla continentiæ lege tenebantur, non ante ad majores ordines, Presbyteratus, aut Diaconatus, quos HIERONYMUS Sacramenta Christi appellat, promovent, nisi uxores duxerint. Ex eo autem, quod ordines illo tempore *majores* Sacramenta dicantur, & sint, non sequitur, *omnem* clericalem ordinem esse Christi

ſti Sacramentum proprie dictum, ex mente Hieronymi.

Objic. VII. S. Augustinus lib. de bo- 31
no conjugali cap. 24. ut probaret, vinculum conjugale non ſolvi, etiamſi filii non procreentur, utitur comparatione ordinis, & ait. „ Quemadmodum ſi fiat ordinatio Cleri ad plebem congregandam, etiamſi plebis congregatio non ſubſequatur, manet tamen in illis ordinatis Sacramentum ordinationis: & ſi aliqua culpa quisquam ab officio removeatur, Sacramento divino ſemel impoſito non carebit. „ Ergo quælibet Clericorum ordinatio eſt Sacramentum.

Resp. S. Augustinus manifeſte loquitur de ordinibus hierarchicis, Epiſcopatus, Presbyteratus, & Diaconatus, qui poſſint plebem regere: quod nemo de ordinibus minoribus dixerit; cum hi non ſolum non conficere, ſed nec ſolenniter adminiſtrare ulla Sacramenta valeant, quod tamen ad Paſtorem gregis requiritur. Loquitur ergo de ordinibus majoribus præcipue Epiſcopatus & Presbyteratus: qui certiſſime ſunt Sacramenta, & quæ ſemel legitima ordinatione accepta, nulla depoſitione amittuntur.

Objic. VIII. Ordines minores impri- 32
munt characterem, quod prob. ex cit. Augustini verbis, ex S. Thoma & ex Pontificali Romano, ubi tit. *de ordinibus conferendis* inter cæteras Pontificum exhortationes in

in omnibus ordinationibus faciendas hæc habetur: *Moneat ordinandos, quod inſtrumenta, quibus character imprimitur, tangant.*

Resp. *Diſt.* Imprimunt characterem, Eccleſiaſticum, *conc.* proprie *Sacramentalem, nego.* licet hoc forte S. Thomas in quartum aſſeruerit; quia tamen alibi mentem ſuam aliter expreſſit, n. 21. hinc judice SS. Benedicto XIV. ea ſaltem dubia eſt, Pontificale Romanum de *charactere* mentionem faciens extendi tantum debet ad illos ordines, qui *Sacramenta* eſſe noſcuntur: & cum plurimi negent, materiam illorum ordinum conſiſtere in porrectione & attactu inſtrumentorum, nihil inde deduci poteſt; cum liber Pontificalis non ſit dogmaticus, ſed ceremonialis.

33 Objic. IX. In omni ordinatione adhibetur materia & forma, quæ exprimit poteſtatem miniſterii in ordine ad Sacramentum Evchariſtiæ. Ergo quilibet eſt Sacramentum.

Resp. *Diſt.* In omni ordinatione adhibetur materia & forma, a Chriſto inſtituta, *neg.* ab Eccleſia, *conced.* & retorqueo. In benedictione Abbatum, in creatione militum religioſorum, in profeſſione monachorum &c. adhibetur materia & forma: ergo ſunt Sacramenta? nempe Eccleſiaſtica non divina.

34 Objic. X. Niſi iſti ordines eſſent Sacramenta & imprimerent characterem, tunc

per

per excommunicationem & depoſitionem omnino amitterentur, deberentque poſtea iterari: atqui hoc falſum eſt, *ergo* &c.

Resp. Nego *ſequel.* ſicut enim Eccleſia hos ordines inſtituit, ita inſtitutioni ſuæ leges præſtituere poteſt, quas libuerit: prout patet de conſecratione Eccleſiarum, quas pollutas non denuo conſecrat, ſed reconciliat Epiſcopus, vel Presbyter delegatus.

Objic. XI. Sunt in Eccleſia plura offi- 35
cia, uti cuſtodum, ſacriſtarum, cantorum: ergo ſi *ordines* tantum eſſent officia, darentur innumeri.

Resp. *Diſting.* Sunt in Eccleſia plura officia, quæ tamen ordinibus Eccleſia nunquam accenſuit, *conced.* ſecus *neg.* eſt autem differentia inter officium vel nudum miniſterium, & inter ordinem proprie dictum, etiamſi Sacramentum non ſit; quod hic ex intentione & voluntate Eccleſiæ majori cum ſolennitate conferatur, amplioremque poteſtatem tribuat, humanam quidem, ſed ad Sacramentum remote ordinatam tanquam aliquid Sacramentale; præcipue, quod ordinati Eccleſiaſtico jure a laicis diſtinguantur: hinc de Pſalmiſta ait Concil. Carthag. IV. Can. X. eum poſſe absque ſcientia Epiſcopi, ſola juſſione Presbyteri officium ſuſcipere cantandi. Et Rhabanus cantores confundit cum laicis.

Objic. XII. Græcus jam Presbyter or- 36
dinatus, veniens ad ritum Latinorum, te-

netur ſuſcipere ordinem *Exorciſtatus*, & in Latina Eccleſia per ſaltum in Diaco·ıum & Presbyterum prætermiſſo Subdiaconatu, ordinatus, debet hunc poſtmodum ſuſcipere, juxta cap. un. ſolicitudo d. LII. ergo &c. hæc ſunt argumenta Clar. B. Berti.

Resp. Cum Eccleſia Latina in materia Sacramentorum ſemper ſequatur ſententiam tutiorem, & leges a ſe ſemel latas religioſe ſoleat ſervare, hinc quia præceptum Eccleſiaſticum eſt, ut ad majores ordines aſcendatur per gradus, hos prætermiſſos ſuppleri jubet: quin inde ſequatur, inferiores gradus eſſe Sacramenta, aut ordines majores non valere per ſaltum collatos.

§. III.

De Materia & forma Sacramenti ordinis?

37 Resolutio I. In Sacramenti ordinis adminiſtratione ſemper adhibenda fuit aliqua materia & forma.

Prob. Sacramentum, cum ſit ſignum ſenſibile, debet conſtare rebus & verbis, ut patet ex tract. de Sacramentis in genere: & ſine materia & forma nec ſignum ſenſibile eſſet, nec rebus conſtaret & verbis: *ergo* &c. hinc ſemper adhibita fuit vel impoſitio manuum, vel inſtrumentorum porrectio cum forma concomitata, quæ exprimeret poteſtatem ordinatione conceſſam:

Objic.

Objic. I. Chriſtus absque omni mate- 38
ria & forma Apoſtolos ordinavit ſacerdotes, *ergo* &c.

II. S. Gregorius *Thaumaturgus* tridui itinere a Phædimo Amaſcenſium Epiſcopo diſtans, ab eo tamen conſecratus fuit Epiſcopus, ut ſcribit Gregorius Nyſſenus in *ejus* vita. Ergo ſolo nutu absque omni materiæ applicatione.

III. Daniel ſtylita absque manus impoſitione ordinatus fuit ſacerdos a Gennadio Patriarcha Conſtantinopolitano, ut refert Metaphrastes apud Surium ad diem XI. Decembris.

IV. Rebussus cum non nullis Canoniſtis *teſtatur*, Romanum Pontificem absque ritu *ſenſibili* his duntaxat verbis ordinare: *eſto ſacerdos. eſto Epiſcopus.* Ergo &c.

Resp. ad I. Chriſtus ſummus gratiæ auctor potuit effectum Sacramenti tribuere absque Sacramento, cum nullis ſit adſtrictus legibus: hanc tamen extraordinariam poteſtatem non conceſſit Apoſtolis.

Resp. ad II. Non fuit Gregorius *ordinatus* in diſtantia, ſed *vocatus* & *conſtitutus* Epiſcopus, qui tandem voluntati Dei cedens Epiſcopatus officium ſuſcepit *omnibus poſt hæc, quæ fieri ſolent, ſolemnibus in eo peractis*, ut ait Gregorius Nyſſenus.

Resp. ad III. *diſting.* Absque manus impoſitione, phyſice ſuſcepta, *conced.* moraliter ſuſcepta, *neg.* nempe ſtabat in columna

Daniel, ad basim Patriarcha, & porrectis ad ipsum manibus ordinationem perfecit. BAILLETUS in vitis sanctorum XI. Decembris Patriarcham in columnam ascendisse, ibique Danieli manus imposuisse testatur.

RESP. ad IV. *disting.* Et *ordinare* sumendum pro *denominatione* Personæ, ad ordinem & dignitatem promovendæ per actionem Sacramentalem, *conced.* sumendo pro ipsa *ordinatione* Sacramentali, imprimente characterem, & tribuente effectum Sacramenti ordinis, *neg.* Cum Pontifex dicit: *sis Episcopus*, indigitare tantum vult, se illi dignitatem Episcopalem, aut jurisdictionem conferre: qui tamen deinceps legitime est ordinandus.

39 RESOLUTIO II. Materia essentialis SS. ordinum, qui sunt Sacramenta, est sola impositio manus: porrectio instrumentorum materia integrans dici potest ex præcepto Ecclesiæ instituta. II. pars constat ex decreto EUGENII IV. ad Armenos & usu Ecclesiæ Latinæ.

Prob. autem I. pars. In S. Scriptura quandocunque mentio fit sacræ ordinationis, sola legitur impositio manus. Act. VI. Cum enim ordinarentur ab Apostolis Diaconi, nondum erat conscriptus Evangeliorum liber, qui juxta Adversarios est materia Diaconatus. Ridiculum est, quod quidam fingunt: Apostolos Symbolum fidei scriptum porrexisse ordinandis. vid. etiam Act. XIII.

I. Timoth.

I. Timoth. IV. & II. Timoth. I. ergo hanc tradidit Chriſtus Apoſtolis: conſequenter inſtituit.

Prob. II. Per novem minimum ſæcula 40
ordines hierarchici, Epiſcopatus, Presbyteratus, & Diaconatus, in univerſa Eccleſia *ſola* manuum impoſitione abſque ullius inſtrumenti porrectione fuerunt collati; nulla enim inſtrumentorum occurrit mentio in Sacramentariis & antiquis Ritualibus, ab Hugone MENARDO, MORINO, & MARTENE collectis. Immo in Concilio CARTHAGINENSI IV. ubi Subdiaconatus & minores ordines dicuntur conferri per porrectionem inſtrumentorum, ordinum hierarchicorum collatio *expreſſe* per ſolam manus impoſitionem, deſcribitur.

Veteres ſcriptores, qui de Ritibus Eccleſiæ & ordinum collatione ſcripſerunt, ut AMALARIUS FORTUNATUS, RHABANUS MAURUS, WALAFRIDUS STRABO, non meminerunt inſtrumentorum, ergo tunc ſola impoſitio manus fuit materia eſſentialis: ſi autem fuit per novem ſæcula, etiam nunc erit; quia Eccleſia Sacramentorum ſubſtantias immutare non valet, etiamſi quædam addere poſſit accidentaria, quibus poteſtas & effectus ordinis collati magis exprimitur: quemadmodum hoc contingit per porrectionem inſtrumentorum, ut ſcribit HUGO Victorinus: „ Accipiunt calicem cum vi„ no & patena cum hoſtiis de manu Epiſco-

„ pi, quatenus his inſtrumentis poteſtatem „ ſe accepiſſe agnoſcant, placabiles Deo ho- „ ſtias offerendi. „ Et Pontificale antiquum Romanum MS. apud SS. BENEDICTUM XIV. de Synodo p. 347. „ Accipiat Epiſcopus „ patenam cum oblatis, & calicem cum vi- „ no, & ponat ſimul in manibus *ordinati* cu- „ juslibet per ſe. „ Unde colligitur, jam ante porrectionem inſtrumenti fuiſſe *ordinatum* per impoſitionem manus præviam; ſecus deberet dici *ordinandi.*

41 *Prob. III.* In Eccleſia Græca a ſui exordio in hanc usque diem ſola impoſitione manuum conferuntur primi ordines hierarchici, ut ex eorum Euchologiis conſtat, & a nullo in dubium vocatur: atqui validæ ſunt Græcorum ordinationes; eoquod Eccleſia Romana nunquam eas improbaverit, Græcorum ſacerdotes ſuo ritu ordinatos pro veris agnoverit, neque in Concilio LUGDUNENSI neque FLORENTINO deſuper ullam quæſtionem moverit. Imo cum etiam CLEMENS VIII. Ruſſorum Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos ad unionem cum Eccleſia Catholica admiſerit cum ſuis ordinibus, quibus ritu Græcorum fuerant in ſchismate inſigniti. Ergo ſola manuum impoſitio eſt materia eſſentialis Sacramenti ordinis; cum utique Chriſtus materiam uniformem pro tota Eccleſia, nec aliam pro oriente, & aliam pro occidente inſtituerit.

42 Hinc etiam prævie anticipatur Adverſariorum objectio, petita ex Decreto ad Armenos,

nos, ubi materia ordinis dicitur porrectio inſtrumentorum. Non enim definiendo hoc dixit Pontifex, qui paulo antea concordiam cum Græcis, absque inſtrumentorum porrectione ordinatis, inierat, ſed materiam integralem & ritum Eccleſiæ Romanæ in Sacramentorum adminiſtratione uſitatam Armenis explicavit. Quod ex eo etiam confirmatur; quia in illo decreto nulla fit mentio impoſitionis manuum tertiæ in ordinatione Presbyteri, quam tamen ad eſſentiam Presbyteratus, ſaltem partialem, pertinere, communiter adverſarii ſtatuunt.

Respondent non nulli ad iſta argumen- 43
ta, etiam nunc Latinos ordinari ſola manus impoſitione; quia Epiſcopus ſuis manibus inſtrumenta exhibet ordinandis.

Respondent alii, olim quidem ſola impoſitione manus fuiſſe collatos, & nunc conferri apud Græcos ordines; hodie tamen neceſſariam eſſe inſtrumentorum porrectionem, quia, cum Chriſtus materiam Sacramenti non determinavit in ſpecie infima, reliquit Eccleſiæ poteſtatem, eam determinandi, & juſtis de cauſis mutandi: quod factum fuerit in Latina Eccleſia.

Contra primam. Si porrectio inſtru- 44
mentorum eſſet ipſa manus impoſitio, tunc etiam ordines minores dicerentur conferri per manus impoſitionem, quod diſerte negat Concil. Carthag. IV. 2. Sequeretur, etiam Baptiſmum, extremam unctionem,

perfici per manus impositionem; quia Ministri manibus suis tangunt corpus subjecti. 3. Olim non fuit adhibita instrumentorum porrectio. Ergo diversa est illa manus impositio. 4. Per impositionem manus in Scriptura sacra & apud Patres ac scriptores Ecclesiasticos supponitur manus imposita capiti, non alicujus instrumenti porrectio. *Ergo*.

45 Contra secundam. Christus nullam concessit Ecclesiæ potestatem mutandi substantias Sacramentorum, sed salva eorum substantia quædam ordinandi circa Sacramentorum dispensationem, ut fatetur Concilium Tridentinum. Quodsi autem hanc Ecclesia habuisset potestatem, quod adversarii non probarunt hactenus, adhuc ostendendum foret, illam ea potestate fuisse usam, & loco manus impositionis substituisse instrumenta tanquam materiam essentialem: atqui hoc ostendi nequit; Quo enim sæculo, in quo Concilio, sub quo Pontifice? ergo &c.

Quod attinet Sacramenti ordinis formam, hæc consistit in verbis, impositionem manus comitantibus, ut dicam de singulis ordinibus in specie: ubi etiam designabo, quænam impositio manus sit essentialis in Presbyteratus collatione.

46 Objic. I. Decretum ad Armenos, cui tamen jam prævie n. 42. satisfactum fuit. Dein cap. *Presbyter* 3. *de Sacramentis non iterandis*, statuitur, ut si in ordinatione Presbyteri

byteri vel Diaconi manus impoſitio fuerit omiſſa, non debeat Sacramentum iterari, ſed caute ſupplendum, quod per errorem fuerat prætermiſſum. Atqui ſi manus impoſitio eſſet materia eſſentialis, totum Sacramentum, utpote nulliter collatum, fuiſſet iterandum: ergo ſolum materia accidentalis, & ceremonia eſt.

Resp. Sacramentum tunc non dicitur iterari, cum prius nulliter fuit collatum, prout contigit in caſu citato. Quoniam autem hac de re nulla extat deciſio, hinc emergente caſu Sacramentum foret ſub conditione de novo conferendum. Quemadmodum reſponſum fuit Romæ, dum ſequens *proponebatur* caſus, quem refert Benedictus XIV. de Synodo Lib. VII. cap. XXV. n. 1. Quidam ſacerdotio initiandus, etſi omnes conſuetas manuum impoſitiones ab Epiſcopo accepiſſet, ad Epiſcopum tamen, ſolita patenæ cum hoſtia, & calicis cum vino, inſtrumenta porrigentem, ad alia tunc temporis diſtractus, non acceſſit. Sacra congregatio deſuper conſulta ſcite animadvertens, præviam illam manuum impoſitionem, jam diu antea peractam, non poſſe moraliter conjungi cum traditione inſtrumentorum, quæ poſtmodum fieret, ut hujus opinionis, quæ dicit, ex impoſitione manus & porrectione inſtrumentorum unam conſtitui materiam, in re tanti momenti rationem aliquam haberet, totam ordinationem ſub conditione iterandam reſcripſit.

47 Objic. II. Quia unctio in ordinatione Episcopi non est materia substantialis, hinc illa per errorem prætermissa jubetur tantum *suppleri* absque nova collatione Sacramenti in cap. *cum venisset.* de S. unctione: ergo etiam quia impositio manus tantum est *supplenda*, erit tantum materia accidentalis.

Resp. Cum fatente Clar. P. Berti, qui istud objicit, in eo consentiant omnes, unctionem Chrismatis in ordinatione Episcopi non esse materiam essentialem, sed ritum ab Ecclesia præscriptum; hinc nihil mirum, Sacramentum non fuisse iteratum: quemadmodum contingit in Baptismo, propter necessitatis casum absque solemnibus ceremoniis administrato, qui postea non amplius repetitur, sed ceremoniæ omissæ supplentur. Hinc etiam apparet disparitas inter utrumque Capitulum: In illo *de unctione* dicit *expresse* Pontifex, eam fuisse supplendam; atvero de impositione manus hoc non dicit *nominatim*, sed in genere, *caute esse supplendum*, *quod fuerat incaute prætermissum*, nempe totum Sacramentum quoad substantiam esse conferendum, prætermissis forte aliis ceremoniis non necessariis.

48 Objic. III. cum Clar. D. Colleto, e Patrum silentio nihil colligi posse; quia qui tacet, quod tacet, non negat, præsertim si justa subest causa tacendi; atqui erat ratio, cur taceretur traditio instrumentorum, non autem impositio manus. ergo. *min.* prob. impositio

positio manus, quæ jam e S. Scriptura & publico usu pervulgata erat, tradebat potestatem in corpus Christi mysticum, seu Ecclesiam, quam necesse erat ab omnibus cognosci. Instrumentorum autem porrectio tradebat potestatem in corpus Christi verum, quæ quantum fieri poterat, per disciplinam arcani infidelibus abscondenda, & necessario supprimenda erat: præsertim cum forma ex eadem secreti lege silentio premenda esset, *ergo*.

Respond. nego *min.* Ad ejus probationem nego pariter primam partem; per impositionem enim manuum solam illis temporibus utraque conferebatur potestas, nec una ab altera sejungebatur, quod erronee supponit Vir eruditissimus. Nego quoque alteram partem; præterquam enim quod respectu Episcoporum, ad quorum quotidianum usum conscripti erant libri Sacramentales & Rituales, nunquam usurpata fuerit lex secreti, hæc etiam iis temporibus, quibus exarati fuerant illi libri, dudum exoleverat disciplina arcani. Infideles & catechumeni, erga quos solos observari solebat lex secreti, illis ordinationibus intra Missarum solennia conferri solitis, iisdem aliunde interesse non poterant, publica Diaconi voce antea ex Ecclesia ejecti. Quodsi autem instrumentorum porrectio abscondenda fuisset, cur Concilium Carthaginense IV. ad finem quarti sæculi celebratum, eam in ordinatione Subdiaconi non reticuit? Id pariter a veritate alienum

num eſt, ordinationum formas in ejusmodi Paſtoralibus libris aut ſuppreſſas, aut ſupprimendas fuiſſe; quamvis enim eas non recitet Concilium CARTHAGINENSE, cum librum Pontificalem ſcribere noluerit, ſed ordinationum ritus atque materias ſummatim recenſere, reperiuntur illæ tamen in conſtitutionibus Apoſtolicis, aliisque ritualibus Græcorum Latinorumque libris, a Morino collectis.

49 OBJIC. IV. Falſum eſt, inſtrumentorum porrectionem in univerſis Ritualibus deeſſe, cum MORINUS ipſe parte 2. pag. 257. edit. Antuerp. exhibeat codicem Conſtantini CAJETANI nono ſæculo exaratum, in quo poſt utriusque manus conſecrationem ſic habetur: „ Hoc facto Epiſcopus accipiat patenam cum oblatis, & calicem cum vino, „ & dicat: Accipe poteſtatem offerre ſacrificium Deo, Miſſamque celebrare tam pro „ vivis quam pro defunctis in nomine Domini. „ MARTENIUS vero Noviodunenſem codicem refert annis 800. antiquiorem, in quo eadem inſtrumentorum porrectio continetur. Jam vero tot in Eccleſia Latina fuiſſe ordinandi ritus, quot erant dioeceſes, nemo facile ſibi perſuaſerit. Ergo non abſone credi poteſt, ubique ſervatam fuiſſe inſtrumentorum porrectionem, ſed vel tacitam fuiſſe, vel expreſſam in ritualibus, prout diutius vel minus diu ſervata fuit lex ſilentii, quæ tandem ſenſim ubique defecit.

RESP.

Resp. I. Si ad nonum usque ſæculum, aut diutius quoque diſciplina arcani obtinuit, ut ſupponitur ex adverſo: cur duo illi codices in hanc legem peccarunt? Sed etiam à vero abludit, Cajetani codicem nono ſæculo exaratum fuiſſe; Morinus enim id non aſſerit, ſed illum ſeptingentorum annorum eſſe ſuſpicatur. Igitur undecimo ſæculo, aut ad ſummum decimo ſcriptus fuerit, oportet. Ab illo autem tempore in quibusdam Eccleſiis introduci cæpiſſe inſtrumentorum traditionem, largiri poſſum; cum in præmiſſis ſolum aſſeruerim, novem prioribus Eccleſiæ ſæculis ſolam manuum impoſitionem in conferendis ordinibus, qui Sacramenta eſſe credebantur, uſitatam fuiſſe. Extat etiam apud Assemanum in nova Morini editione ordo quidam conſecrandi Epiſcopum, & pro forma uſurpantur eadem verba, quæ in codice allegato dicuntur ſacerdoti ordinato: inde tamen non ſequitur, illis verbis Epiſcopum conſecrari; cum ille utique jam prius debuerit ſacerdotio initiatus fuiſſe.

Resp. II. Cum teſte Schelstrato in diſſertatione de *diſciplina arcani* hæc in oriente ad finem ſæculi V. in occidente vero poſt medium ſexti in deſuetudinem abierit, nulla jam erat ratio traditionem inſtrumentorum reticendi in libris ritualibus, poſt illa ſæcula conſcriptis. Quod autem attinet ordinationum formulas, ritusque accidentarios, illæ utique non in omnibus Eccleſiis pariformes erant, etſi ordinationis ſubſtantia

pari

pari religione in omnibus Ecclesiis custodita fuerit.

50 Objic. V. Neque apud Græcos deest instrumentorum contactus; illi enim ordinandi aram instrumentis sacris instructam fronte contingunt, sicque *mediate* instrumenta ipsa tangunt. Ergo.

Resp. Nego hunc ritum apud Græcos olim & constanter viguisse, cujus nullum apud veteres vestigium. Deinde ordinationis materia ab ipso utique Episcopo ordinante cum pronuntiatione formæ concomitante ordinando porrigenda foret, quod non fit apud Orientales.

CAPUT II.

DE MINISTRO, SUBJECTO, ET EFFECTU S. ORDINATIONIS.

§. I.

De Ministro Ordinis.

51 Resolutio I. Ordinarius hujus Sacramenti minister solus est Episcopus. Est dogma Catholicum, in Tridentina Synodo Sess. XXIII. can. 7. stabilitum.

Prob. I. E sacra Scriptura, in qua nullibi legitur, a simplici Presbytero factam fuisse ordinationem, sed vel ab Apostolis, vel ab aliis, quos hi Episcopos consecraverant,

rant, cum mandato, ut ipſi deinceps Epiſcopos & Presbyteros ordinarent. vid. I. Timoth. V. 22. ad Tit. I. 5.

Prob. II. ex traditione. Conſtitutiones 52
Apoſtol. Lib. III. cap. XI. ſolis Epiſcopis permittunt ordinare Diaconos &c. non autem Presbyteris. Can. Apoſt. I. jubet Epiſcopum a tribus Epiſcopis, Presbyterum, Diaconos & reliquos Clericos ab uno Epiſcopo ordinari. In Concilio ALEXANDRINO, in cauſa ATHANASII celebrato, ISCHYRAS quidam nusquam fuiſſe Presbyter demonſtratur, quia fuerat ordinatus a COLLUTHO, *quem* in Presbyteratu mortuum eſſe, & omnem ab illo factam manuum impoſitionem irritam, omnesque, quos in ſchismate ordinaverat ille, ad laicorum gradus redactos, & inter laicos in Eccleſia congregari, notum eſſe nec ulli dubium aſſeritur. AERIUS inter hæreticos fuit ab Eccleſia connumeratus, quod nullum faceret diſcrimen inter Epiſcopos & Presbyteros, & his etiam poteſtatem ordinandi adſtrueret, ut refert S. EPIPHANIUS hæreſ. 75. hinc ſcribit etiam HIERONYMUS Epiſt. 85. ad Evangelium: *quid enim facit excepta ordinatione Epiſcopus, quod Presbyter non faciat?*

Ratio hujus dogmatis dari nulla poteſt præter voluntatem Chriſti, de qua nobis ex traditione conſtat.

OBJIC. I. Concilium Nicœnum I. in E- 53
piſt. Synodica apud SOCRATEM lib. I. Hiſt. Eccleſ.

Eccleſ. cap. IX. poſtquam iis Presbyteris, qui a MELETIO fuerunt conſecrati, facultatem ademit in ſchismatis pœnam, ne in Clerum quemquam deinceps promoverent, de cæteris ſtatuit: „ Hi autem, qui Dei „ gratia - - - ad nullum ſchiſma defeciſſe „ comperti ſunt, & ſe intra Catholicam Ec„ cleſiam impollutos continuerunt, jus ha„ beant & ordinandi προχειρίζεσθαι, & eos, „ qui digni Clero fuerint, nominandi. „ Ergo tunc Presbyteri poterant ordinare.

II. Concil. ANCYRANUM Can. XIII. ſtatuit: „ Chorepiſcopis non licet Presbyteros „ aut Diaconos ordinare, ſed nec Presbyteris „ civitatis, ſine præcepto Epiſcopi vel litte„ ris, in unaquaque provincia. „ Ergo cum Epiſcopi licentia Presbyteri ordinare poſſunt.

RESP. ad I. Sermo ibidem non eſt de ordinatione Sacramentali, ſed nominatione, ſeu electione, id eſt jure ſuffragii, quo privantur ſchismatici. Item non de Presbyteris, ſed maxime de Epiſcopis exponi debet; plures enim MELETIUS ordinaverat Epiſcopos, quam Presbyteros, prout hæc omnia obſervat VALESIUS in notis ad citatum locum SOCRATIS, & in notis ad EUSEBII lib. III. de vita Conſtantini Cap. LXII. juxta quem legendum hoc modo: „ Illi vero, qui „ - - - perſeverant, poteſtatem habeant e„ ligendi, & proponendi nomina eorum, „ qui in Clerum allegi meruerint - - - quod

ſi

„ ſi quempiam eorum, qui in Eccleſia cen-
„ ſentur, diem ſuum obire contigerit: tum
„ in defuncti locum atque honorem prove-
„ hantur ii, qui nuper adſciti ſunt, modo
„ digni videantur, & populus eos eligat,
„ ſuffragante nihilominus, plebisque judi-
„ cium confirmante Alexandrinæ urbis E-
„ piſcopo &c. „ quæ omnia ad *electionem*, non *ordinationem* pertinent.

Resp. ad II. Altera Canonis pars ita legi debet: „ ſed nec Presbyteris civitatis
„ ſine litteris Epiſcopi in unaquaque paro-
„ chia aliquid agere, intellige, *liceat*. „ Ordinatio ergo prima parte prohibita Chorepiſcopos ſolum ſpectat, ruri commorantes; qui etiamſi veri fuerint Epiſcopi, non poterant tamen *licite* absque licentia & litteris dimiſſorialibus proprii Epiſcopi diœceſani ordines conferre. Pars altera Canonis prohibet, ne aliquid agat Presbyter civitatis inconſulto Epiſcopo.

Objic. adhuc. Concilium Hispalense 54
II. Cap. V. jubet deponi Presbyterum & Diaconum, qui Epiſcopo manum imponente, & Presbytero orationem recitante fuerant ordinati: atqui nemo *deponitur*, niſi qui fuerat ordinatus: ergo illi Clerici antea a Presbytero ſaltem partialiter ordinati fuerant.

II. In Eccleſia Latina Presbytero ordinando Sacerdotes adſtantes una cum Epiſcopo imponunt manus: ergo ſimul ordinant.

III. Simplici Presbytero facultas concedi potest, administrandi Sacramentum confirmationis, quamvis hujus minister ordinarius jure divino sit solus Episcopus: ergo & ordinationis quoad Presbyteratum.

IV. Plures ex veteribus Canonistæ & Theologi apud WITASSIUM asseruerunt, a simplici Presbytero ordinari posse non tantum Presbyterum, sed etiam Episcopum. ergo &c.

RESP. ad I. *disting.* Jubet deponi, *improprie*, imo utitur termino *abjiciantur:* id est admitti non debent ad ordinis nunquam accepti exercitium: *conced.* deponi *proprie*, quasi fuissent valide ordinati, *neg.* ex hoc enim sequeretur nimium, quod liceat dimidiare materiam & formam, & unam ab hoc, alteram ab alio administrari. Quod falsissimum est.

RESP. ad II. *disting.* Imponunt manus, pro ceremonia denotante consensum & societatem: *conc.* pro materia Sacramenti imprimente characterem: *nego.* secus iterum sequeretur nimium, nimirum Presbyteros esse ministros ordinarios.

RESP. ad III. In iis, quæ dependent a libera Dei voluntate, non valet argumentum a pari, sed quid Christus permiserit, quid non, desumi debet ex traditione, qua constat, simplici Presbytero facultatem factam fuisse confirmandi: at nullibi legitur, potestatem ordinandi Presbyteros alteri, quam Epi-

Epiſcopo fuiſſe aſſertam. Imo Eccleſia expreſſe reprobavit, & irritas declaravit ordinationes a Presbytero Collutho factas n. 52. dein ſi etiam poteſtas ordinandi conferri poſſet Presbyteris, tunc nulla re amplius diſtinguerentur ab Epiſcopis, contra totam traditionem.

Resp. ad IV. Sit, quosdam ita ſenſiſſe: nunquam eos probavit Eccleſia; quippe a traditionis ſemita deviantes, & inanibus ratiunculis inhiantes.

Resolutio II. Ordinum minorum, & 55
Subdiaconatus miniſter extraordinarius etiam ſimplex Presbyter de conceſſione Eccleſiæ eſſe valet.

Prob. I. Chorepiſcopis olim permiſſum erat, iſtos conferre ordines: atqui hi non omnes erant veri Epiſcopi, ſed quidam illorum ſimplices ſolum Presbyteri. ergo.

II. Gelasius Epiſt. IX. Cap. IV. de Presbyteris ait: „ Nec ſibi meminerint ulla ratio„ne concedi, ſine ſummo Pontifice Subdiaco„num aut Acolythum jus habere faciendi: „ „ ergo de licentia Romani Pontificis poſ„ſunt.

III. In Concilio generali VII. ſeu Nicæno II. Can. XIV. legitur: „ Lectoris autem „manus impoſitionem licentia eſt unicuique „Abbati in proprio monaſterio ſolummodo fa„ciendi, dum conſtet, illum eſſe Presbyte„rum. „ Ergo.

IV. Concil. Tridentinum Seſſ. XXIII. Cap. X. dum Abbatibus prohibet, ne aliis, quam ſubditis regularibus, tonſuram & ordines minores conferant, ipſis poteſtatem ordinandi confirmat quoad ſubditos. Atque ita hodie experientia indubie conſtat.

56 Circumferuntur etiam privilegia, Abbatibus quibusdam noſtri, & Ciſtercienſis ac Præmonſtratenſis ordinis conceſſa, vi quorum ſuis ſubditis Regularibus ordinem Subdiaconatus conferre valent, idque Eccleſiam ſtatuere potuiſſe. Ratio eſt; quia, cum ordines minores & Subdiaconatus ſint ab Eccleſia inſtituti, liberum eidem eſt, quem voluerit deſignare miniſtrum ceremoniæ a ſe inſtitutæ: hinc non deſunt, qui aſſerant, hanc facultatem etiam Diacono concedi poſſe: cujus tamen vix extare exemplum arbitror. major eſt difficultas de *Diaconatu*, an a ſimplici Presbytero *extraordinarie* adminiſtrari queat. Allegatur quoddam privilegium Abbati generali Ciſtercienſium ab Innocentio VIII. 1489. conceſſum, cujus valorem propugnat P. Berti, teſtaturque ex Morino, privilegium illud Romæ 1662. ſciente & conſentiente Alexandro VII. Pontifice maximo, & Gandavii anno ſequente ab eodem fuiſſe exercitum. Quæ ſi vera ſint, dubium omne tollitur. Cæterum quæ de Miniſtro ordinario dixi, intelligenda ſunt de ordinatione *valida*, quam quisque Epiſcopus, utcunque degradatus exercet. Ad licitam requiritur, ut cum Eccleſia Romana communicet, ut ſit

Epi-

Epiſcopus proprius reſpectu ordinandi, aliaque de jure præſcripta obſervet, quæ SS. Canonum interpretes & Theologi morales exponunt.

§. II.

De ſubjecto hujus Sacramenti.

Fuere hæretici quidam adeo effœminati, ut mulierculas conſtituerent Sacramentorum miniſtros, atque adeo ad ordines promoverent. 1. enim de Marco Præſtigiatore de ſecta Gnoſticorum teſtatur Irenæus Lib. I. Cap. IX. eum fœminis conſecrandæ Evchariſtiæ jus tribuiſſe, quod ſupponit ordinem. 2. Montanistæ, ſeu Cataphryges, Pepuſiani, Quintilliani, Priſcilliani, non ſolum Diaconas, ſed & Presbyteras, ac Epiſcopas crearunt, imo ſacerdotalia munia omnia fœminis tribuebant, quod in iis eſſet *Paracletus*, ut teſtantur S. Epiphanius hæreſ. 49. & 79. & Augustinus. hæreſ. 27. Tertullianus, qui adhuc catholicus hæreticis exprobraverat, quod mulieribus aſſererent jus docendi, tingendi, offerendi, id ipſum in hæreſi illis conceſſit. 3. Collyridiani fœminas habebant ſacerdotes, qui certo anni die beatiſſimæ virgini Mariæ ſacrificium ex placentis ſeu Collyridis offerre conſueverant. 4. De Acephalis, ex Eutychianis oriundis, ſcribit Sigebertus Gemblacenſis ad annum 515. & Marianus Scotus in Chronico, Diaconatus ordinem & officium

fœminis conceſſiſſe. 5. De S. Aurea noſtri ordinis Abbatiſſa legitur, quod cum Diaconus in Eccleſia monaſterii ſui imperite admodum Evangelium caneret, detractam eidem ſtolam amicta ipſamet Evangelium publice legerit: quem inconſideratum exceſſum illa poſtmodum gravi pœnitentia expiavit. Sunt ex Proteſtantibus hodie, qui ſacra miniſteria etiam a mulieribus peragi poſſe non negant, etſi dicant, non expedire propter ea, quæ ſexui huic accidere ſolent, ut ea obire permittantur. Conſtans tamen ſemper fuit Eccleſiæ Catholicæ mens, ſolos mares baptizatos ordinationis Sacramenti capacia eſſe ſubjecta.

58 Resolutio I. Ordinationis validæ ſubjectum eſt ſolus mas, & quidem baptizatus.

Prob. I. pars. S. Scriptura I. Cor. XIV. 34. prohibet mulieribus docere & loqui in Eccleſia, ſed jubet ſubditas eſſe, ſicut lex dicit, turpe eſt enim mulieri loqui in Eccleſia. Unde ſic ratiocinari licet: divino jure mulieres debent eſſe ſubditæ viris: atqui ſi Sacramentum ordinis reciperent, jure divino eſſent viris non ordinatis ſuperiores; cum Hierarchia divina Clericos divino jure diſtinguat a laicis, uti oſtendi diſſertatione I. *de Hierarchia Eccleſ.* Ex eadem ſubjectionis ad virum ratione Paulus ad Eph. V. 22. & I. Tim. II. 11. ſilentium in Eccleſia mulieribus imponit. Jam ſi iis in Eccleſia nec loqui

loqui licet: quomodo vi ordinis Sacramenta adminiſtrare, regere plebem licebit? quod ſine jure docendi exerceri non poteſt.

Prob. II. ex traditione Eccleſiæ Ca- 59
tholicæ, quæ conſtanter mulieres declaravit incapaces Sacramenti ordinis. Videri poſſunt textus in mea diſſertatione II. de HIERARCHIA Eccleſ. n. 11. & 12. & diſſert. I. n. 21. ubi notanda præcipue teſtimonia & ratiocinia authoris conſtitut. Apoſt. TERTULLIANI & EPIPHANII. His addatur Cap. X. *de pœnit. & remiſſ.* ubi ex eo, quod nec beatiſſimæ virgini MARIÆ claves regni tradere voluerit CHRISTUS, INNOCENTIUS III. legitime infert, multo minus alteri fœminæ ordinationis Sacramentum competere poſſe. Quod inde etiam deducitur; quia, etſi in ſacris hiſtoriis legamus, mulieres quasdam extitiſſe, quæ non ſolum regnis, ſed etiam exercitibus præfuerint, quæ dono prophetiæ, aliisque gratiis fuerint illuſtres, nullam tamen legimus, quæ ad ſacros ordines & ſacerdotium fuerit promota.

Prob. II. pars. Eccleſia eos, qui non 60
percepto Baptismo fuerant ordinati, juſſit baptizari & ordinari; atqui Eccleſia nunquam conſenſit in iterationem Sacramenti, characterem imprimentis, ſi ſemel rite fuiſſet collatum: ergo Eccleſia cenſuit, Baptismo non præmiſſo ordinationem non valere. *maj. prob.* in Concilio NICÆNO I. Can. XIX. ſancitum fuit, ut PAULIANISTÆ ad Eccleſiam reverſi

denuo baptizentur, & si qui inter eos fuerant ordinati, reordinentur. Idem statuitur in Concilio COMPENDIENSI relato Cap. I. *de Presbytero non baptizato*, & ab INNOCENTIO III. cap. III. eodem tit.

61 Ratio est: Baptismus, ut arguit INNOCENTIUS citat. cap. est fundamentum Sacramentorum omnium: ubi autem fundamentum non est, aedificium Ecclesiae spirituale erigi non potest.

II. Baptismus est nova in Christo nativitas: qui autem in Christo renatus non est, munia Christianae Ecclesiae obire non potest.

III. Baptismus est Janua in Ecclesiam juxta EUGENIUM IV. sed qui Ecclesiam ingressus non est, munia in Ecclesia obire, Christique mysteria dispensare non potest. Ergo &c.

62 Nihil obest in contrarium paritas a Baptismo desumpta, quem etiam infidelis administrare potest. Nam cum hoc sit Sacramentum *necessitatis*, & janua in Ecclesiam, voluit Christus, ut illud quisque administrare, & januam etiam extra domum constitutus aperire valeat pro favore vocatorum, & salvandorum.

Caeterum quae ad licitam hujus Sacramenti receptionem spectant, a Canonistis & Theologis moralibus pertractantur, ad quos lectorem remitto.

OBJIC. I. In Eccleſia veteri erant DIACONISSÆ per manus impoſitionem χειροτονίαν ordinatæ ad varia miniſteria Eccleſiaſtica, quæ recenſentur in conſtitut. Apoſt. Can. III. cap. XIV. 1. Ut ungerent fœminas in Baptiſmo toto corpore. 2. Ut catechumenas privatim inſtituerent. 3. Ut fœminas ægras viſitarent, iisque miniſtrarent. 4. Ut etiam Martyribus & Confeſſoribus in carcere detentis inſervirent. 5. Ut cuſtodirent januas, ſeu introitum Eccleſiarum pro fœminis. 6. Ut viduis præſiderent. Quæ omnia poſt COTELERIUM in notis ad cit. loc. conſtit. probat BINGHAMUS orig. Eccleſ. vol. 1. pag. 361. ſeq. legatur etiam diſſertatio CABASSUTII II. de Diaconiſſis ad ſæc. II. 63

II. Occurrunt ſæpe apud veteres ſcriptores nomina *Epiſcopæ*, *Presbyteræ*, *Diaconæ*: ergo iſtos ordines fœminæ poſſidebant.

III. in cap. *dilecta* XII. de M. & O. legitur, quod Abbatiſſa Quedlinburgenſis Canonicas ſuas & Clericos ſuæ jurisdictioni ſubjectos propter inobedientias & culpas eorum officio beneficioque ſuſpendat: atqui jurisdictio Eccleſiaſtica, poteſtasque ferendi cenſuram ſuſpenſionis, fundatur in charactere ordinis. *ergo* &c.

RESP. ad I. Erant quidem Diaconiſſæ, etiam per manus impoſitionem ordinatæ: ſed nomen *ordinationis* ſumendum eſt ſenſu improprio, pro ceremoniali deputatione ad miniſteria mulieribus exhibenda, quemad-

modum hodie consecratio virginum sanctimonialium, & benedictio Abbatissarum. Hinc Concilium NICOENUM Can. XIX. eas omnino laicis accenset, quod non sint ordinatae per manus impositionem, nempe *ordinatoriam*, sed solum *ceremonialem*. Et ex Concilio ARAUSICANO I. Can. XXVI. Diaconissae omnino non ordinandae. Si quae jam sunt, benedictioni, quae populo impenditur, capita submittant. Quamvis interea quoque verum sit, quod honoratiorem quemdam locum *materialem* in Ecclesia obtinuerint, quemadmodum & Ascetae & virgines, qui Clerici tamen non erant. Erant autem descriptae in Canone Clericorum; quia Ecclesiae opibus sustentabantur. De multiplici manus impositione videatur Dissertatio I. CABASSUTII saec. II.

RESP. ad II. Episcopae, Presbyterae &c. erant uxores Episcoporum &c. ante ordinationem ductae.

RESP. ad III. Non erat *suspensio* proprie dicta, quae violata induceret irregularitatem, sed nuda prohibitio fungendi officio suo, & subtractio fructuum beneficii: quod colligitur ex eo; quia inobedientes jubentur excommunicari ab Abbate: quod tamen & Abbatissae competiisset, si habuisset veram jurisdictionem Ecclesiasticam in ordine fundatam. Fuit ergo illa potestas *œconomica*, qualis hodiedum Abbatissis, tanquam matribusfamilias, in subditas moniales competit.

RESO-

Resolutio II. Epiſcopus valide ordi- 64
nari non poteſt, qui prius non fuerit ſacerdotio inauguratus: quamvis Presbyteratus videatur conferri valide, non præmiſſis ordinibus reliquis.

Prob. I. pars. Præſules Sardicenſes in Epiſtola Synodica ad Epiſcopos totius Eccleſiæ apud Theodoretum *Hiſtor. Eccleſ.* L. II. cap. VIII. pag. m. 69. edit. Valesii Ischyram Athanaſii calumniatorem, de quo n. 52. Cui Ariani in præmium calumniæ nomen Epiſcopi dederunt, ajunt, Epiſcopum non eſſe, quia ne Presbyter quidem erat. „ Et hunc tamen, qui ne Presbyter „ quidem eſt, Epiſcopum nunc promove- „ runt, ut hujus nominis titulo auditorum „ animos inter calumniandum percellant. „ Synodus quoque Hierosolymitana apud Athanasium Apologia II. ex eadem ratione Iſchyræ ordinationem reprobat.

II. Epiſcopi quoque Ægyptii & Clerus Alexandrinus in litteris pro Concilio Calcedonensi parte III. Timothei *Æluri* ordinationem hoc ex capite nullam declarant, quod Epiſcopus ſine manus impoſitione extiterit, *ſed neque priorem habens Presbyteratus ordinem.*

III. Nullus unquam in Epiſcopum fuit ordinatus, non præmiſſa Presbyteratus ordinatione, ut etiam ex objectionum ſolutione conſtabit.

IV.

IV. S. AMBROSIUS, qui adhuc catechumenus electus eſt in Epiſcopum, antea fuit baptizatus, & poſtea ordinatus, ut teſtatur SOZOMENUS Hiſt. Eccleſ. VI. 24.

65 *Ratio* eſt I. Epiſcopatus juxta morem loquendi Patrum eſt ſupremus apex ſacerdotii, & Presbyteratus eſt ejus veluti fundamentum: ergo præmitti debet Presbyteratus. II. In Presbyteratu confertur poteſtas conficiendi corpus Chriſti: atqui foret abſurdum, hac poteſtate carere Epiſcopum. III. Poteſtas in corpus myſticum præſupponit poteſtatem in corpus Chriſti verum: atqui hæc datur in Presbyteratu. ergo &c. *maj.* ſuadetur. Ipſum corpus myſticum, quod eſt Eccleſia, præſupponit corpus Chriſti naturale: ergo & poteſtas in corpus myſticum præſupponit poteſtatem in corpus Chriſti naturale, ſeu verum.

66 *Prob. II.* pars. S. THOMAS in ſupplemento Q. XXXV. a. 5. (*) ſcribit: „ In primitiva Eccleſia aliqui ordinabantur in Pres-
„ byteros, qui prius inferiores ordines non
„ ſuſceperunt, & tamen poterant omnia, quæ
„ inferiores ordines poſſunt: quia inferior po-
„ teſtas comprehenditur in ſuperiori virtute,
„ ſicut ſenſus in intellectu - - ſed poſtea
„ per conſtitutionem Eccleſiæ determina-
„ tum eſt, quod ad majores ſe non inge-
„ rat, qui prius in minoribus officiis ſe non
„ humiliaverit. „ Hæc S. THOMAS: determina-

minatio autem hæc habetur cap. un. *de Clerico per ſaltum promoto*, ex quo tamen colligitur, ordinationem Presbyteri per ſaltum non eſſe irritam, ſed ſolum illicitam; quia Diaconatus prætermiſſus ſolum ſuppleri, non Presbyteratus iterari debet.

Quod vero olim ſæpius quidam per ſal- 67
tum in Presbyteros promoti fuerint, conſtat ex hiſtoria. Sic teſtatur PONTIUS de S. CYPRIANO in ejus vita, POSSIDIUS de AUGUSTINO in vit. cap. IV. de BASILIO GREGORIUS Nazianzenus. De MARTINO SEVERUS Sulpitius in ejus vita. Denique Concilium BRACARENSE I. cap. XXXVIII. ſtatuit: „ Placuit, ut ex laico ad gradum ſacerdotii „ nemo veniat, niſi prius anno integro in „ officio lectorum, vel Diaconatus diſciplinam Eccleſiaſticam diſcat. „ Ubi optio datur, vel lectores, vel Diaconos ordinandi in Presbyterum.

OBJIC. I. PHOTIUS Pſeudo-Patriarcha 68
Conſtantinopolitanus Eccleſiæ Romanæ exprobravit, quod Diaconos non ſuſcepto Presbyteratus ordine Epiſcopos conſecraret: *ergo* &c.

II. In antiquis Eccleſiæ Romanæ Ritualibus apud MABILLONIUM Tom. II. Muſæi Italici & MARTENE eadem exhibetur conſecratio, illius, qui ex Diacono, & illius, qui ex Presbytero in Epiſcopum fuerat electus: ergo Diaconi quandoque per ſaltum fuerunt conſecrati Epiſcopi.

III. BING-

III. Binghamus Orig. Eccleſ. vol. 1. pag. 152. varia profert monumenta hiſtorica, quibus oſtendit, quosdam non Presbyteros, ſed ſolum Diaconos, aut ex inferiore ordine, imo Catechumenos & laicos, ad Epiſcopatum fuiſſe aſſumptos. *ergo* &c.

Resp. ad I. Hoc per mendacium Romanæ Eccleſiæ impoſuit Photius ſchismaticus, quod tanquam notorium refutat Ratramus Corbejenſis in reſponſione ad objecta Græcorum. Neque hoc mirum; nam plures falſitates Latinis affinxit.

Resp. ad II. *diſting.* Eadem exhibetur conſecratio Epiſcopalis, Diacono tamen prius in Presbyterum ordinato: *conc.* ſecus *nego.* Nam in iisdem Ritualibus eadem exhibetur conſecrationis formula etiam pro iis, qui non erant Diaconi: quin tamen inde ſequatur, nullo præmiſſo ordine ſtatim ex laico quemquam fuiſſe ordinatum Epiſcopum. Ideo autem eadem erat formula pro Presbytero vel Diacono electo; quia dum Presbyter electus conſecrabatur in Epiſcopum, interrogabat metropolitanus: quot annos habes in Presbyteratu: Reſpondet electus 10. vel 20. ſi vero forſan ipſa die vel infra breve ſpatium fuerit ab eo in Presbyterum ordinatus, reſpondeat, *tu ſcis Domine* &c.

Resp. ad III. Omnia illa facta hiſtorica exponi de *electione*, non de *conſecratione.* Plerumque enim ſolebant Epiſcopi eligi ex Presbyteris, quandoque autem etiam ex Dia-

Diaconis vel inferioribus ordinibus: imo ex ipſis laicis & Catechumenis, ut AMBROSIUS: ubi tamen præmittebantur ordines, ſaltem Presbyteratus.

RESOLUTIO III. Subjectum ordinationis validæ ſunt etiam uſu rationis deſtituti: ſive propter infantiam, ſive propter amentiam. Qui autem uſu rationis pollent, inviti & contra ſuam intentionem valide non ordinantur. 69

Prob. I. pars. De ordinibus minoribus, qui Sacramenta non ſunt, dubium eſſe nequit; cum revera olim infantibus non raro fuerint collati ante uſum rationis: & INNOCENTIUS III. cap. un. *de Clerico per ſaltum promoto*, interrogatus de quodam Presbytero, qui cum ante annos diſcretionis minoribus & ſubdiaconatu fuiſſet inſignitus, poſtea adulta ætate ad ſacerdotium, omiſſo Diaconatu, pervenerat, ſolum diaconatum ſupplendum eſſe decrevit: ergo reliqui ordines valuerunt.

De ordinibus vero, qui Sacramenta ſunt, 70
probatur tum ex authoritate Theologorum, inter quos S. THOMAS in IV. Diſt. XXV. S. BONAVENTURA & alii; tum ratione. Sacramentum ordinis imprimit characterem: atqui characteris capax eſt tam infans quam amens, ut patet de Baptiſmo & confirmatione, *ergo* &c. Ubi tamen obſervandum, ejusmodi infantem aut amentem ſic ordinatum, ſi poſtea ad uſum rationis pervenerit, non

non obſtringi lege continentiæ: niſi factum ſponte probaverit rite informatus; nam continentia non eſt effectus neceſſarius Sacramenti ordinis, ſed oritur vel ex præcepto Eccleſiæ, vel ex voto ordinati; utriusque autem incapax eſt amens & infans.

71 *Prob. II.* pars. Ad validam Sacramenti ſuſceptionem in adulto mentis compote requiritur poſitiva intentio, vel ſaltem permiſſiva & habitualis; quia eſt actus humanus, ex dictis de Sacram. in genere & clare habetur deciſum cap. *Majores* III. §. *item quæritur.* de Baptismo. Atqui eadem eſt ratio de Sacramento ordinis, dicitque Pontifex generaliter: „ Ille vero, qui nunquam „ conſentit, ſed penitus contradicit, nec „ rem, nec characterem ſuſcipit Sacramenti. „

72 *Ratio* eſt: ſicut enim Chriſtus voluit, ut jugum legis Evangelicæ nemini obtrudatur invito, ſed *qui vult venire* &c. ita noluit ullum ad legis ſuæ miniſterium, & ſacrorum myſteriorum diſpenſationem cogere.

73 Objic. I. In conſecratione Epiſcopali contrahitur vinculum indiſſolubile ſpiritualis matrimonii inter Epiſcopum & Eccleſiam: atqui ad tale vinculum requiritur voluntarius conſenſus, cujus infans vel amens eſt incapax: ergo non poſſunt ordinari valide in Epiſcopum, conſequenter neque alios ſuſcipere ordines.

II. Pro-

II. Proferuntur & extant apud P. Berti varia facta historica, quibus constat, quosdam prorsus invitos & repugnantes ordinatos fuisse Episcopos, aut alio ordine insignitos: ergo falsa est pars altera Resolutionis.

Resp. ad I. In Episcopatu duo possunt discerni: nempe character, & munus Episcopi, seu obligatio. Dico ergo, Episcopatum infanti collatum valere quoad characterem & potestatem, ex præmissis rationibus, non autem quoad munus & obligationem: nisi in ætate adulta ratihabuerit factam ordinationem, ita ut alias neque habeat jurisdictionem, nec obligationes contrahat Episcopatui annexas.

Respond. ad II. Ex omnibus illis factis historicis colligitur, eos repugnasse ex humilitate, ne dignitas Episcopalis vel sacerdotalis iis imponeretur, qua se reputabant indignos. Postquam autem voluntatem Dei agnoverunt, intus saltem consensum *permissivum* præstiterunt: quod sufficit, ex dictis de Sacramentis in genere.

§. III.

De effectu Sacramenti ordinis.

Duplex hujus Sacramenti effectus est, *gratia* nempe, & *character*. De primo jam 74
egi initio. & tract. de Sacram. in genere.

Characterem in ordinatione imprimi, unde valide semel collata iterari nequeat, dixi de Sacram. in genere. Hic quaeritur, an character semel impressus perseveret in impiis, in simoniacis, intrusis, haereticis, schismaticis, depositis, excommunicatis, degradatis, ita ut validae ab iis fiant ordinationes. In ministro Sacramenti cujuscunque ad valorem non requiri fidem vel probitatem, ostensum fuit de Sacram. in genere. Quoniam vero non nulli cum MORINO existimant, Ecclesiam, uti Matrimonio, ita etiam Sacramento ordinis posse praescribere impedimenta quaedam *dirimentia*, quae ordinationem reddant invalidam; hinc de isto Sacramento agendum specialiter; quemadmodum egi de valore Baptismi ab haereticis collati.

75 RESOLUTIO. Character S. ordinatione legitima collatus perseverat indelebilis & inamissibilis in omnibus utcunque improbis, haereticis, simoniacis, intrusis, invasoribus, schismaticis, depositis, excommunicatis, degradatis, ita ut tales Episcopi ordinationes etiam valide conferant.

Prob. I. Patres Catholici eodem modo reordinationem improbarunt, quomodo iterationem Baptismi, ut patet ex S. AUGUSTINO Lib. II. contra Epistolam Parmeniani cap. 13. & lib. I. de Bapt. cap. I. & quidem de impiis id expresse definitum est a Conciliis CONSTANTIENSI & TRIDENTINO, ut dixi de Ministro Sacramenti in genere.

Prob.

Prob. II. Specialiter de Simoniacis. 76
Ordinationes Simoniacas, five ex parte ordinantis, five ordinati, femper quidem improbavit Ecclefia, nunquam tamen invalidas declaravit, imo dicunt Concilia & Patres, quod Simoniaci vendant Spiritum fanctum. Ergo eo ipfo agnofcunt, effectum ordinis conferri a Simoniacis. Item Concilia jubent, Simoniace ordinatos vel ordinantes deponi: ergo fupponunt, ordinationem validam fuiffe.

Prob. III. de intrufis & invaforibus. S. 77
FLAVIANO Patriarchæ Conftantinopolitano a Diofcoro, & pfeudo-Synodo Ephefina, quam latrocinium & latrocinalem dicunt, in exilium ablegato ANATOLIUS fubftitutus & ordinatus fuit, ut narrat AUXILIUS in defenfione FORMOSI lib. I. cap. XXIV. cujus tamen ordinatio valida fuit agnita a S. LEONE M. quod conftat in ejus Epift. LXXVIII. PETRUS Mogus in Epifcopatum Alexandrinum intrufus, & ab uno folum Epifcopo contra canones ordinatus, plures tamen fecit ordinationes, quas Ecclefia Romana ratas habuit, ut probat Chriftianus LUPUS volum. II. in Canones Conciliorum. Denique PHOTIUS in Patriarchalem Conftantinopolitanæ Ecclefiæ fedem, IGNATIO ejecto, intrufus, a JOANNE tamen VIII. poft obitum Ignatii legitimus fuit agnitus Epifcopus, nec ordinationes a Photio factæ fuerunt repetitæ.

Prob. IV. De hæreticis. Ecclefia eodem 78
modo agnovit validam hæreticorum ordina-

 tionem,

tionem, quo eorum Baptismum: quod patet ex Concilio NICOENO can. VIII. ubi Novatianos reversos cum suis ordinibus suscipiendos esse decernitur. Canon ex Græca versione, quam habet Concilium CARTHAGINENSE VI. ita loquitur: „ Si aliquando venerint ad Catholicam Ecclesiam Cathari, placuit, sicut & magnæ Synodo, eos ordinatos sic manere in Clero. „ Contra quam legit GRATIANUS cap. VIII. caus. I. q. 7. qui deinceps Canon in regulam abiit. In causa etiam Arianorum ab ipso S. ATHANASIO, vehementissimo alias eorum impugnatore, celebratum fuit Concilium, ubi Ariani reversi ad communionem Catholicam cum suis ordinibus admissi fuerunt.

79 *Prob. V.* de schismaticis. Ordinati a MELETIO schismatico cum ordinum suorum exercitio admissi fuerunt a Concilio NICOENO I. in Epistola Synodica. De qua supra n. 53. R. ad I. idem sancitum fuit de Donatistis, ut colligitur ex Synodo AFRICANA can. XXXV. Ita quoque S. CORNELIUS a suo adversario antipapa NOVATIANO, primo schismatico, ordinatos, & ad Ecclesiam reversos absque nova ordinatione ad pristinum locum suscepit, ut patet ex CYPRIANI Epistola n. 6. MELCHIADES quoque ordinatos a MAJORINO suscepit, quam sententiam S. AUGUSTINUS Epist. XXXXIII. ad Gloriam & Eleusium, innocentem, providam, integram, & pacificam appellat. Plura in Ecclesia Romana orta fuerunt Pontificum schismata: fa-

ctæ

ſtæ tamen a ſchismaticis ordinationes validæ fuerunt agnitæ, easdemque pluribus in locis propugnat S. AUGUSTINUS ut Epiſt. II. contra Parmen. cap. XIII. Lib. II. contra Creſconium Donat. cap. X. In Breviculo collationis cum Donatiſtis cap. V. aliique auctores.

Prob. VI. de excommunicatis. ACACIUS Conſtantinopolitanus Patriarcha anno 484. a FELICE ſummo Pontifice exauctoratus & anathemate fuerat perculſus: qui tamen plurimas in ſua excommunicatione fecit ordinationes, quas nihilominus validas pronuntiavit ANASTASIUS Papa Epiſt. ad Anaſtaſium Imperatorem, relata apud GRATIANUM cap. VII. Diſt. 19. FORMOSUS Epiſcopus a JOANNE VIII. fuerat depoſitus, poſtmodum autem a MARINO citra novam ordinationem ſedi ſuæ reſtitutus, ac demum in Pontificem Romanum electus eſt. de quo ſcribit S. PETRUS DAMIANI opuſc. VI. 80

Plurimi ſancti Epiſcopi e ſedibus ſuis ab æmulis ejecti & excommunicati quoque fuerunt a factioſis, ut ATHANASIUS ab Arianis, qui poſtea ſedibus ſuis reſtituti, ne ab Adverſariis quidem incuſabantur non ſuſceptæ novæ ordinationis: igitur Eccleſiæ ſemper perſuaſum fuit, perſeverare characterem ſemel impreſſum, nec ullo crimine aut facto illum deleri poſſe.

Atque ex his facile deducitur, etiam hodie in Suecia, Dania & Anglia, veros fore 81

Epiſcopos & Presbyteros, ſi modo primi Apoſtatæ fuerint Epiſcopi legitime ordinati, & hi deinceps cum debita materia & forma ſuas peregiſſent ordinationes, atque ita ab apoſtata Epiſcopo in ſucceſſores fuiſſet propagata ordinatio. Quia autem vehementer dubium eſt, & ex quæſtione facti dependet, an primi ordinatores Anglorum & Suecorum veri fuerint Epiſcopi, & utrum deinceps legitimam ſemper adhibuerint materiam & formam; hinc etiam vehementer dubia eſt eorum ordinatio; quæ in germania apud Proteſtantes certiſſime nulla eſt; cum Lutherus non fuerit Epiſcopus, nec ullus ex Epiſcopis ad Lutherum tranſierit, aut qui tranſierunt, ordinationes non fecerint.

§2 Ut objectiones, quæ ex factis hiſtoricis fieri poſſunt plurimæ, facilius ſolvantur, præmittendæ ſunt reſponſiones generales, quarum aliquas ſuggerit P. Berti. 1. Iterandæ quandoque decernuntur ordinationes hæreticorum: nempe quando non fuit obſervata legitima forma: aut eorum hæreticorum, quorum Baptiſmus fuit nullus ex defectu debitæ formæ. 2. Qui extra Eccleſiam ordinantur, recipiunt quidem characterem, non autem *gratiam* Sacramenti: quam reverſis ad Eccleſiam conferre voluerunt Paſtores per manus impoſitionem reconciliatoriam, ſeu Sacramentum pœnitentiæ. Hinc ſicut de Baptiſmo, ita de ordinatione dicunt non nulli Patres, in hæreſi vel ſchiſmate non dari Spiritum ſanctum, id eſt, non adquiri gra-

gratiam ſanctificantem vel ejus augmentum: non autem negare volunt imprimi characterem. 3. Aliud eſt character ſeu poteſtas exercendi ordinem *valide*, aliud ejus exercitium, ſeu *licita* illius adminiſtratio. Hinc quando Patres dicunt, ſimoniacorum, ſchismaticorum &c. ordinationes non eſſe *ratas*, intelligendum eſt, non poſſe eos tribuere *licitum* ordinis valide ſuſcepti exercitium. 4. Quando dicunt, ejusmodi ordinationes *irritas* eſſe, & ſic ordinatos ex integro reordinandos aut ordinatos fuiſſe: intelligendum eſt, fuiſſe *illicitas:* quia contra canones factæ fuerant, non autem plane *invalidas. Reordinari*, aut ordinem *de novo* accipere dicebantur, quando per ceremonias ordinationis, ſed ſine intentione reordinandi repetitas, tribuebatur poteſtas ordines exercendi *licite*, quod prius in hæreſi, ſchismate, aut depoſitione *valide* quidem, ſed non *licite* poterant. Una ex iſtis reſponſionibus cum proportione applicari poterit factis hiſtoricis, quæ in contrarium opponi ſolent.

Objic. I. Can. Apoſt. LXVIII. ordinationes hæreticorum iterandas decernit: ergo &c. 83

II. Clerici hæretici reverſi jubentur per manus impoſitionem recipi: ergo reordinabantur.

III. S. Basilius Epiſt. ad Amphilochium can. I. hæreticorum uti Baptisma, ita ordinationem reprobat. *ergo* &c.

IV. Innocentius I. Epist. XVIII. Baptisma Arianorum probat, non vero eorum ordinationem. *ergo* &c.

V. Idem summus Pontifex Epist. XXII. ad Episcopos Macedoniae ait, haereticos, dum ad ordinandum imponunt manus, non nisi vulnus infligere, ordinatos a Bonoso haeretico nihil recipere. *ergo.*

VI. Graeci recentiores ordinationes haereticorum habent pro nullis, ut probat Witasse. *ergo* &c.

Resp. ad I. Canon. Apost. aut est ex quodam Concilio rebaptizantium desumptus, cujusmodi celebravit Firmilianus, aut exponi potest de haereticis, qui non adhibent debitam formam: aut si hanc adhibent, ordinant eos, qui invalide erant baptizati. Quo casu non ex capite haereseos, sed defectu Baptismi ordinatio erat nulla.

Resp. ad II. *disting.* Per manus impositionem, *reordinatoriam*, *neg.* *reconciliatoriam* vel ceremonialem, qua traditur ordinis valide recepti licitum exercitium, *conced.*

Resp. ad III. S. Basilius quemadmodum erravit circa Baptismum haereticorum, ita etiam circa ordinationem.

Resp. ad IV. Innocentius probat Baptismum, ab Arianis collatum, non tantum quoad substantiam & valorem, sed etiam quoad privilegia Christianorum ex tali Baptismo obvenientium. Econtra de ordinatio-

ne

ne dicit, quod hæretici non possint dare plenitudinem Spiritus sancti, id est, gratiam, & exercitium ordinis licitum, consequenter neque dignitatem & honorem, qui clericis legitime ordinatis competeret.

Resp. ad V. Infligunt vulnus, quando ordinati in hæresi participant cum ordinante, rei fiunt peccati sacrilegii propter ordinem contra Canones illicite susceptum. Dicit, ordinatos ab hæretico nihil recipere quoad characterem, *neg.* quoad gratiam, & ordinis exercitium licitum, *conced.*

Resp. ad VI. Græcos schismaticos, ubi a Catholicis recedunt, non magnæ esse authoritatis. Aliqui autem illorum exponi possunt, de impositione manus reconciliatoria, qua recipiunt hæreticos, non autem de reordinatoria.

Objic. II. Leo IX. Pontifex Romanus 84
plerosque Simoniacos & male promotos tamquam noviter ordinavit, ut refert, S. Petrus Damiani opusculo V. indeque tumultum in Romanorum multitudine sacerdotum exortum fuisse addit. *ergo.*

Resp. *disting.* Noviter ordinavit, adumbrando ordinationem, & eadem tradendo instrumenta, quibus significabat, se ordinis valide recepti conferre exercitium licite exercendi, *conc.* vere reordinando, *nego.* Ideo & S. Petrus vigilanter scripsit: *tanquam* noviter ordinavit. Videri enim non nulli poterat, per ceremonias ordinationis repetitas

etiam ordinationem iterari. Sed ordinationes ſchismaticorum re ipſa a LEONE annullatas non fuiſſe, ex ipſo PETRO Damiani conſtat dum opuſculo citato ſcribit: „ Poſt „ longa diſceptationum volumina ſuggeſtum „ eſt Leoni, prædeceſſorem ejus Clementem „ II. decreviſſe, ut quicunque a Simoniaco „ ordinatus fuiſſet, in ipſo ordinationis ſuæ „ tempore non ignorans Simoniacum eſſe „ eum, cui ſe obtulerat promovendum, qua„ draginta nunc dierum pœnitentiam ageret, „ & ſic in *accepti ordinis* officio miniſtraret: „ quam ſententiam protinus venerabilis Leo „ ratam percenſuit, & ſub hujusmodi pœni„ tentia *omnes in acceptis officiis de cætero per„ ſeverare mandavit.* Nam & nonnullos ho„ die conſpicitis, qui dum a talibus per di„ verſos gradus fuerant ordinati, ab eodem „ ſummo Pontifice ad Epiſcopatus apicem „ ſunt provecti. „

85 OBJIC. III. URBANUS II. Simoniacorum ordinationes in tantum declarat irritas, ut taliter ordinati nihil a ſuis ordinatoribus receperint, qui nihil illis dare potuerint. Ita vero ſcribit apud Gratianum cap. 24. I. q. VII. „ Daibertum a Nezelone licet Simoniaco, „ non ſimoniace ejusdem confeſſione reperi„ mus in diaconatum ordinatum, & B. In„ nocentii I. Papæ ſententia conſtat decla„ ratum, quod Nezelon (quem conſtat ab „ hæreticis, h. e. Simoniacis, ordinatum) „ quia nihil habuit, nihil dare potuit ei, cui „ manus impoſuit. Nos igitur tanti Pontifi-

„ cis

„ cis auctoritate firmati, & Damaſi Papæ „ teſtimonio roborati, qui ait (cap. 25. ci- „ tata cauſa & quæſt.) *reiterari oportere,* „ *quod male actum eſt,* Daibertum ab hæreti- „ cis corpore & ſpiritu digreſſum, atque u- „ tilitatibus Eccleſiæ pro viribus inſudan- „ tem, *ex integro* (Eccleſiæ neceſſitate in- „ gruente) *Diaconum conſtituimus.* Quod „ non reiterationem exiſtimari cenſemus, „ ſed tantum integram Diaconii dationem; „ quoniam, ut prædiximus, qui nihil ha- „ buit, nihil dare potuit. „ Unde tale for- matur argumentum. Urbanus exiſtimavit, ordinationes, a Simoniacis factas, ita eſſe invalidas, ſicut illæ, quæ fiebant a Chorepiſcopis: atqui iſtæ, utpote a veris Epiſcopis non factæ, ita erant nullæ, ut nec ordinis exercitium tribuerent, nec characterem imprimerent, ut in epiſtola Damaſi, cujus fragmentum recitat Gratianus, conſtat. *ergo.* Innocentii autem decreta, quibus pariter innititur Urbanus, referuntur a Gratiano cap. 17. & 18. & 73. cauſ. I. quæſt. I.

Nec juvat reſpondere cum PETAVIO, 86
BOEHMERO in notis ad hoc cap. aliisque, epiſtolam Damaſi ſpuriam eſſe ex mercibus ISIDORI.

Quamvis enim id concedi poſſit, vis tamen argumenti non elevatur; quia nihilominus eam Urbanus ut genuinam ſuppoſuit & adoptavit, & Simoniacorum ordinationes illis Chorepiſcoporum æquiparavit, quæ cer-

te etiam quoad ſubſtantiam nullæ & caſſæ ſunt. Ergo & illas ſchismaticorum nullas eſſe exiſtimavit, & Daibertum de novo Diaconum ordinavit.

87 RESPONDENT non nulli, Urbani Epiſtolam ſi non ſpuriam, ſaltem vehementer corruptam videri, eoquod nihil eorum, quæ apud GRATIANUM leguntur, reperiantur in epiſtola, quam e manuſcripto codice Victorino edidit Severinus BINIUS in collectione conciliorum. Sed omiſſa hac conjectura

RESPOND. Urbanus ſequitur ſententiam INNOCENTII I. atqui iſte, ut ex ejus epiſtolarum fragmentis citatis apparet, loquitur ſolum de gratia S. Spiritus, de honore & ordinis exercitio licito, quod ſchismaticus ordinator dare non poterat ſibi in ſchismate communicanti. Ergo & Urbanus de eodem loquitur, & Daiberto non niſi ordinis valide accepti exercitium licitum, quod non acceperat, contulit. Sequitur etiam ſententiam pſeudo-Damaſi, ex aliquo, non ex omni parte. Cum enim duplicis generis Chorepiſcopi fuerint, quorum alii legitime erant ordinati Epiſcopi, ſed ſedibus ſuis pulſi, alterius Epiſcopi Vicarium in Pontificalibus generalem agebant: alii ſimplices Presbyteri, qui Clericis ruri degentibus, velut Archidiaconi cum jurisdictione, ſed ſine charactere Epiſcopali erant præpoſiti: ideo perſonatus Damaſus generaliter ſtatuit, reiterari oportere, quod male actum eſt. Quando ordinatio

tio facta fuit a Chorepiſcopo prioris ordinis, qui valide quidem, ſed ſine ſpeciali licentia proprii Epiſcopi licite ordines conferre non poterat, ſolum exercitium ordinis valide accepti iterari debebat. Quando autem ordinatio facta fuit a Chorepiſcopo ſecundi ordinis, qui charactere Epiſcopali deſtitutus eundem conferre non poterat, tota ordinatio, utpote nulla, de novo conferenda erat. Itaque Urbanus ordinationes Simoniacorum comparat cum illis Chorepiſcoporum primi generis, quæ erant validæ, ſed licitum ordinis exercitium non tribuebant, & quoad iſtud adoptat ſententiam Damaſi, indeque conſequitur Daibertum non vere ab eo reordinatum, ſed de novo eidem conceſſam fuiſſe ordines licite exercendi poteſtatem, quam Nezelo Simoniacus dare non poterat.

OBJIC. IV. HILDEBERTUS Cenomanen- 88
ſis Epiſcopus epiſt. 14. quemdam ab ordine Presbyteratus ſuſpendit, *quo vel nondum, vel male factus Diaconus evolavit.* Fuerat autem ille Simoniace ordinatus Diaconus. Ergo ſaltem dubitavit de valore ordinationis Simoniacæ.

RESP. Cum eo tempore de hujusmodi ordinationis valore multi dubitaverint, forte inter eos etiam fuit Hildebertus: quin tamen aliquid definiret, ſed ſecuritatis gratia ab ordinis exercitio illum ſuſpenderet.

OBJIC. V. Ordinatio MAXIMI Cynici, 89
qui ſedem Conſtantinopolitanam invaſerat, &

& ordinationes ab ipso factæ irritæ declaratæ fuerunt a Concilio Constantinopolitano I. can. 3. ergo.

II. Cum Constantinus anno 767. Romanam invasisset sedem, Stephanus IV. legitime electus non ejus tantum ordinationem, sed quas ipse fecerat, nullas declaravit, & ordinatos iterum jussit *consecrari.* ut refert Sigebertus ad an. cit. *ergo* &c.

III. Photius sedis Constantinopolitanæ invasor, illegitime ordinatus judicabatur a Patribus VIII. sæculi, & irritæ declaratæ fuerunt ordinationes ab eo factæ. *ergo* &c.

IV. Formosi summi Pontificis ordinationes irritas declararunt Stephanus VI. & Sergius III. ejus successores, quod in sedem Romanam contra Canones intrusus diceretur: testanturque auctores coævi, iteratas ab iisdem fuisse ordinationes formosi. *ergo* &c.

Resp. ad I. *Dist.* Irritæ fuerunt declaratæ, id est, contra Canones factæ, & irritæ quoad licitum honoris & ordinis exercitium: *conced.* quoad characterem & valorem ordinationis, *neg.*

Resp. ad II. Si revera Stephanus jussit reordinari illos, erravit in facto, non in fide. Potest autem dici, illam reordinationem fuisse *impropriam*, quoad solam concessionem liciti ordinum exercitii, & confirmationem in beneficiis.

Resp.

Resp. ad III. Eodem modo; cum enim ordinati a Photio jussi fuerint *deponi*, eo ipso æstimabantur valide ordinati quoad characterem, etsi jus non haberent ordines exercendi.

Resp. ad IV. Cum Stephanus & Sergius ipsimet a formoso fuerint ordinati, nec tamen suam ordinationem iterari voluerint, sequitur, eos non de propria reordinatione, sed concessione exercitii ordinis validi intelligendos esse. Cum etiam uterque horum Pontificum tanquam sceleratissimus ab auctoribus depingatur, dici potest, eos reordinando non erasse quidem in fide; cum nequaquam definierint, invalidas esse intrusorum ordinationes, sed violenta tyrannide, & odio immani erga Formosum, in cujus cadaver fædam crudelitatem exercuit Stephanus, errasse in facto. Dicunt aliqui, Luitprandum, qui de Stephano ait, ordinatos à Formoso iterum *ordinavit*, potius scripsisse, *exordinavit*: id est, ordinum exercitium interdixit, seu degradavit: fuse hæc facta historica expendunt Witasse, Collet, aliique & legi etiam de Stephano VI. potest Sandini in vita ejusdem, ubi agit de Formosi ordinationibus, & tyrannide Stephani.

§. IV.

§. IV.

De Continentia, seu Cœlibatu Clericorum.

90 Continentiam non esse effectum necessarium ordinationis, sed Clericis aliunde impositam esse, constat apud omnes. Id solum quaeritur, an usus conjugii Clericis interdici potuerit, & a quo id jus proveniat, an ex praecepto Christi, Apostolorum, aut Ecclesiae: vel ex voto in ordinatione emisso. Item quae fuerit circa eam in Ecclesia Graeca & Latina olim & hodie disciplina. Praeter eos, qui virginitati ac Caelibatui bellum indixerunt, & conjugii necessitatem universalem ac absolutam propugnarunt, uti JOVINIANUS, speciatim Clericorum Caelibatum aversabatur VIGILANTIUS, natione gallus, Ecclesiae Barcinonensis in Hispania Presbyter. Quantum hodierni Novatores Caelibatum damnent, & conjugia etiam sacerdotibus necessaria esse praedicent, inter omnes constat. Fuse hanc materiam pertractant BELLARMINUS, THOMASSINUS de veteris & novae Ecclesiae disciplina P. I. L. II. cap.LX. seq. SCHELSTRATUS in actis Ecclesiae orientalis adversus Lutheri haeresin differt. III. Cardinalis GOTTI de vera Ecclesia Tom. II. parte I. a. 5. & in colloquiis contra Piceninum. Natalis ALEXANDER H. E. saec. IV. dissertat. XIX. ut alios praeteream.

RESO-

RESOLUTIO I. Non extat Chriſti præ- 91
ceptum de Clericorum cælibatu.

Prob. Hoc præceptum nec in ſacris litteris legitur, nec ex traditione probatur: ſecus Eccleſia nunquam potuiſſet quibusdam in Eccleſiis Clericis uſum conjugii permittere; atqui Concil. ANCYRANUM can. IX. illum permiſit Diaconis, qui in ipſa ordinatione proteſtabantur, ſe ſine conjugio manere non poſſe, & INNOCENTIUS III. cap. *cum olim.* de Clericis conjugatis, permittit græcis. Imo in Concilio TRIDENTINO plures inſtabant, ut Clericis in germania conjugium a Concilio permitteretur. Igitur perſuaſum eis erat, id non fore contra Chriſti præceptum, ſed rem eſſe diſciplinæ, quæ ab Eccleſia mutari poſſet.

RESOLUTIO II. Ex Eccleſiæ diſciplina 92
prioribus ſæculis nec Clericis majoribus, nec Subdiaconis licuit poſt ordinationem ducere uxores.

Prob. I. Canon. Apoſt. XXVII. Lectoribus & Cantoribus tantummodo hoc permittit: ergo cæteris omnibus interdicit. II. Confirmat hoc, tanquam a ſacris canonibus ſtatutum JUSTINIANUS L. VI. Cod. de Epiſcopis & Clericis. & Novell. XXII. cap. 42. denique hoc etiam ſancitum fuit in Concilio TRULLANO, ſeu QUINISEXTO can. VI. ubi etiam ad Apoſtolorum canonem citatum provocatur.

93 Resolutio III. Epiſcopis nec in Oriente nec occidente unquam licuit uti conjugio ante ordinationem contracto.

Prob. Concilium Trullanum, ubi contrariam quorumdam corruptelam in Africa & Lybia graſſari comperiſſet, can. XII. eam coercuit, quoniam ex iſta cohabitatione populis offendiculum & ſcandalum naſceretur: atqui nullum fuiſſet ſcandalum, ſi permiſſum fuiſſet Epiſcopis uti conjugio ante contracto. De Eccleſia Latina id omnino certum eſt & extra dubium: ſed & græci hodie nullum ordinant Epiſcopum, niſi aut virgo ſit aut viduus, aut continentiam profiteatur.

94 Resolutio IV. In utraque Eccleſia ſex prioribus Eccleſiæ ſæculis Presbyteris & Diaconis permiſſus non erat uſus conjugii ante ordinationem contracti.

Prob. I. Pro Eccleſia orientali ex S. Epiphanio in expoſit. fidei cap. XXI. „ Sacerdotium ex virginum ordine præcipue „ conſtat, aut ſi minus e virginibus, certe „ ex monachis, aut ſi minus monachorum „ ordine, ex his creari ſacerdotes ſolent, „ qui a ſuis ſe uxoribus continent, aut ſecundum unas nuptias in viduitate verſantur. Secundis vero nuptiis implicitus in „ Eccleſia ad ſacerdotium non admittitur, „ tametſi ſe aut ab uxore contineat, aut ſit „ viduus. Ejusmodi inquam ab Epiſcopi, „ Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi gradu

„ du rejicitur. Secundum hos gradus lectorum ordo ex omnibus ordinibus eligi poteſt, hoc eſt e Virginibus, Monachis, continentibus, viduis & iis, qui honeſtis matrimoniis illigantur. Imo ſi neceſſitas fuerit, ex bigamis. „ Idem Epiphanius hæreſ. XLVIII. n. 7. „ Cum ſacerdotalia Chriſtus munera & ornamenta cum iis, qui poſt unas nuptias continentiam ſervaverint, aut in virginitate perſtiterint, communicanda eſſe velut in quodam exemplari monſtraverit, Apoſtoli deinde honeſte & religioſe decreverunt per Eccleſiaſticam ſacerdotii regulam. „ Idem hæreſ. LIX. n. 4. „ Quia eum, qui adhuc in matrimonio degit, ac liberis dat operam, tametſi unius ſit uxoris vir, nequaquam tamen ad Diaconi, Presbyteri, Epiſcopi aut hypodiaconi ordinem admittit Eccleſia, ſed eum duntaxat, qui ab unius uxoris conſuetudine ſeſe continuerit, aut ea ſit orbatus, quod in illis locis præcipue fit, ubi Eccleſiaſtici Canones accurate ſervantur. „ Fatetur quidem ibidem, in non nullis Eccleſiis aliter obſervari: quod tamen ceu corruptelam reprehendit. „ Reſpondeo, ait, non illud ex canonis authoritate fieri, ſed propter hominum ignaviam, quæ certis temporibus negligenter agere ſolet. „

Prob. II. De Eccleſia Latina, cujus 95
hanc in rem decretales Siricii & Innocentii I. & Canones quoque Concil. Cartha-

GINENSIS II. III. V. TOLETANI I. & TAURINENSIS Episcopi, Presbyteris & Diaconis usum conjugii interdicentes exstant apud Natalem ALEXANDRUM cit. dissertat. propos. II. generaliter pro tota Ecclesia scribit S. HIERONYMUS adversus VIGILANTIUM. „ Quid facient orientis Ecclesiæ, quid Æ-„ gypti & sedis Apostolicæ? quæ aut Vir-„ gines Clericos accipiunt, aut continentes, „ aut si uxores habuerint, mariti esse desi-„ stunt. „ Universam Ecclesiam dividit in tres partes, Asiam, Africam, Europam, sive exarchatum Romanum, Alexandrinum & Antiochenum, ex quibus integer constabat orbis tunc cognitus. Item in apologia pro libris adversus Jovinianum. „ Christus „ virgo, virgo Maria, utriusque sexus vir-„ ginitatem dedicavere Apostoli Virgines, „ vel post nuptias continentes. Episcopi, „ Presbyteri, Diaconi aut Virgines eligun-„ tur, aut vidui, aut certe post sacerdotium „ in æternum pudici. „ Apostolos autem post vocationem ab uxoribus abstinuisse, probat idem HIERONYMUS tum ex illo PAULI: *volo omnes similes mei esse*, tum ex illis PETRI verbis: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te*, cui Christus reposuit: *omnis qui reliquerit domum vel uxores* &c.

96 RESOLUTIO V. Post sæculum VI. apud græcos solis Episcopis, non autem aliis, etiam majoribus Clericis, usus conjugii ante contracti fuit interdictus.

Prob.

Prob. Ex Concilio TRULLANO, quod Can. XIII. legem continentiæ ſolis indicit Epiſcopis, cæteris permittit, ut videre eſt apud auctores n. 90. citatos & apud JUENIN. permiſit Eccleſia Romana hanc Græcorum praxin œconomiæ cauſa, uti colligitur ex cap. *aliter*. XIV. d. 31. cap. XIII. fin. *de vita & honeſtate* Clericorum. & cap. *cum olim* VI. de *Clericis* conjugatis.

RESOLUTIO VI. Contra in Eccleſia Latina ad continentiæ legem etiam poſt ſæculum VI. ſemper adſtricti fuerunt Clerici majores: præſcindendo nunc a Subdiaconis. 97

Hanc Reſolutionem ſolide probat THOMASSINUS, & Natalis ALEXANDER: nec opus eſt, niſi ut Canones Conciliorum citentur in hanc rem editi, ſuo tempore evolvendi. vid. ergo can. IX. Concilii AGATHENSIS anno 506. Can. XIII. Concilii ARVERNENSIS anno 535. Can. II. Concilii AURELIANENSIS III. an. 538. Can. XVII. Concilii AURELIANENSIS IV. an. 541. Can. IV. Concilii AURELIANENSIS V. an. 549. Can. XII. Concilii TURONENSIS II. an. 567. & infiniti alii. Quoniam enim cum tempore magis inſolevit Clericorum incontinentia, crebrioribus erat opus præceptis ſeu repagulis, ut torrenti luxuriæ agger poneretur. Cælibatum Clericorum maxime etiam urgebat GREGORIUS VII. ut videri poteſt apud citatos. Quapropter etiam ab hodiernis Heterodoxis tantopere exagitatur. Scripſit quoque de

Clericorum Cælibatu duo opuſcula S. PETRUS DAMIANI ac denique Concilium TRIDENTINUM Seſſ. XXXIV. Can. IX. ubi quidem ſolum loquitur de matrimonio, poſt ordinationem a Clericis non contrahendo: de uſu antea contracti abſtinuit, propter græcorum conſuetudinem a tempore Concilii TRULLANI radicatam, nec in iis ab Eccleſia Latina expreſſe damnatam, ſed tacito conſenſu permiſſam. Pro cautela tamen Latinæ Eccleſiæ Seſſ. XXIII. inter conditiones ordinandorum poſtulat, ut ad ſacros ordines non promoveantur, *Niſi qui ſperent ſe Deo auctore continere poſſe.*

98 RESOLUTIO VII. De Subdiaconorum Cælibatu varia fuit Eccleſiæ diſciplina.

Prob. enumeratione. I. in Eccleſia Græca prioribus ſæculis non licuit poſt ordinationem matrimonium contrahere, ex n. 92. nec contracto uti, ex teſtimonio EPIPHANII n. 94.

99 II. Concilium ELIBERITANUM Can. III. Subdiaconis continentiam præcipit in miniſterio poſitis: ex quo inferunt non nulli: eos extra tempus miniſterii, vel in locis, ubi ſacra vaſa non attingebant, ad hanc legem non fuiſſe obſtrictos.

100 III. Concilium CARTHAGINENSE II. can. II. idem fere ſtatuit de Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis ſimpliciter: de cæteris autem ſub modo: *qui Sacramenta contrectant,*

ad

ad quæ tamen non ubique admittebantur Subdiaconi.

IV. Pontifices Romani usque ad Leonem M. de Clericorum continentia loquentes, eam ad ſolos Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos reſtringunt; Leo autem etiam Subdiaconos ſub generali voce comprehendit Epiſt. LXXXIV. ad Anaſtaſium Theſſalon. cap. IV. „ Nam cum extra Clericorum ordinem conſtitutis nuptiarum ſocietati & procreationi filiorum ſtudere ſit liberum: ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem nec Subdiaconis quidem connubium carnale conceditur &c. „ Quamvis non ubique hæc Leonis ſanctio fuerit obſervata. vide Juenin p. 658. edit. Venetæ. 101

V. Poſt annum autem milleſimum, cum Subdiaconatus jam ſacris & majoribus ordinibus in Eccleſia Latina accenſeretur, eidem etiam continentiæ lex ſtabiliter & ubique fuit adnexa. 102

Resolutio VIII. Cælibatus Clericorum non oritur ſolum ex lege Eccleſiaſtica, ſed magis ex voto ordinandorum ſaltem tacito: cum ſecus ad ordinem nullus admitteretur. 103

Prob. I. ex can. IX. Concilii Ancyrani. Ubi tacita profeſſio & votum claris verbis legitur. „ Diaconi quicunque ordinantur, ſi in ipſa ordinatione proteſtati ſunt, & dixerunt, velle ſe conjugio co-

„ pulari, quia ſic manere non poſſunt, hi ſi
„ poſtmodum uxores duxerint, in miniſterio
„ maneant, propterea, quod eis Epiſcopus
„ licentiam dederit. Quicunque ſane tacue-
„ rint, & ſuſceperint manus impoſitionem,
„ NB. *profeſſi continentiam*, & poſtea nuptiis
„ obligati ſunt, a miniſterio ceſſare debe-
„ bunt. „ Ergo acceptatio ordinationis absque proteſtatione expreſſa, eſt tacita profeſſio Cælibatus; ſicut Novitius poſt annum integrum probationis portans habitum, & gerens ſe tanquam profeſſum, etiamſi vota *expreſſe* non emiſerit, habetur pro *tacite* profeſſo, & votis ſolemnibus obſtricto.

104 *Prob. II.* GREGORIUS M. cap. *nullum* I. d. 28. „ Nullum facere Subdiaconum præ-
„ ſumant Epiſcopi, niſi qui ſe victurum ca-
„ ſte promiſerit. „ vid. etiam cap. III. ead. diſt. ubi etiam fit mentio *profeſſionis* caſtitatis.

105 *Prob. III.* INNOCENTIUS III. cap. VI. de Clericis conjugatis. „ Nos igitur atten-
„ dentes, quod orientalis Eccleſia *votum*
„ continentiæ non admiſit &c. ergo ex *voto* tenentur Clerici.

106 *Prob. IV.* GRATIANUS initio D. 28. ait. Nolentes *vovere* continentiam, nec ad Subdiaconatum, nec ad ſuperiores poſſunt gradus conſcendere. Id quod probaverat per cap. I. d. 27. & pluribus cap. d. 28. ubi præter citata evolvi poteſt cap. V. VII. qui etiam de Cælibatu Clericorum multa habet diſt. 31. & 32.

Prob.

Prob. V. Ratione. Clericus contra ca- 107
ſtitatem peccans, fit reus ſacrilegii: atqui non committeret ſacrilegium, ſi ſolum ex præcepto Eccleſiæ ad eam eſſet obſtrictus, ſicut laicus transgrediens præceptum naturale & divinum caſtitatis non eſt reus ſacrilegii. Ergo peccat contra *votum* & virtutem religionis. *maj.* probatur tum ex ſenſu communi fidelium, & ipſa accuſatione Clericorum pœnitentium, qui exponunt circumſtantiam Perſonæ ſacræ tanquam ſpecie diverſam, tum ex Concilio TOLETANO II. relato cap. V. d. 28. tum etiam ex eo, quia idem ſemper reputatum fuit crimen luxuriæ ſacrilegum in Monachis & Clericis, ut colligitur ex S. HIERONYMO Epiſt. XXII. ad Euſtochium, ubi de Clericis, cum ſacris virginibus caſtitatem profeſſis in eodem habitaculo commorantibus, ait: „ Cum ex eodem *propoſito* eſſe ſe ſimulent, quærunt „ ſpirituale conſortium, ut domi habeant „ carnale commercium. „ Ergo ex eodem propoſito ad caſtitatem tenentur Clerici ſæculares, & Moniales; quoniam ſub hoc prætextu volebant a ſe ſuſpicionem avertere. Pluribus hanc reſolutionem probat Clar. D. AMORT de Sacram. ordin. §. XIV. q. 3.

OBJIC. Proteſtantes, & inter eos BINGHAM vol. II. pag. 158. ſeq. I. Multi Epiſcopi & Presbyteri primis ſæculis erant conjugati, quia fit mentio eorum conjugis & liberorum. Sic de VALENTE Presbytero Philippenſi 108

& conjuge ſcribit POLYCARPUS Epiſt. ad Philipp. n. XI. CHÆREMON Nili urbis Epiſcopus, quem perſecutionis tempore cum uxore fugiſſe ſcribit EUSEBIUS Hiſt. Eccleſ. L. VI. cap.42. S. CYPRIANUS, fatente PAGIO, in matrimonio vixit, ut & CÆCILIANUS Presbyter, qui Cyprianum ad fidem perduxit: de quo ſcribit PONTIUS in vita CYPRIANI. NUMIDIUS Presbyter Carthaginenſis cum uxore ſua tormenta propter fidem ſuſtinuiſſe ſcribitur a CYPRIANO Epiſt. XXXV. de conjuge & liberis PHILEÆ & PHILORONI Epiſcoporum teſtatur EUSEBIUS Hiſt. Eccleſ. L. VIII. c. 9. & ita de aliis.

RESP. Omnia illa exponi debent de matrimonio ante ordinationem contracto. Habitabant autem illo tempore Clerici cum ſuis conjugibus, tanquam *ſororibus*, absque uſu conjugii. Poſtea invaluit diſciplina, ut conjuges poſt ordinationem viri aut ordinarentur Diaconiſſæ, aut Monaſteriis includerentur.

109 OBJIC. II. De NOVATO Presbytero Carthaginenſi ſcribit CYPRIANUS Epiſt. 49. „ Uterus uxoris (Novati) calce percuſſus, „ & abortione properante in parricidium „ partus expreſſus, & damnare nunc audet „ ſacrificantium manus, cum ſit ipſe nocentior pedibus, quibus filius, qui naſcebatur, occiſus eſt. „ Ubi obſervandum, Cyprianum non exprobrare Novato uſum conjugii, ſed Parricidium.

RESP.

Resp. Novatum aut illicite concubuiſſe cum ſua conjuge poſt ordinationem: aut hoc factum contigit ante ejus ordinationem, ut ſuſpicantur multi.

Objic. III. teſtatur Eusebius Hiſt. Eccleſ. Lib. IV. cap. XXIII. Pinytum Eccleſiæ Gnoſſiorum in Creta inſula Epiſcopum voluiſſe Clericos obligare ad legem continentiæ: a quo eum dehortatus fuit Dionysius Corinthiorum Epiſcopus: „ Ne grave onus „ caſtitatis fratrum cervicibus tanquam ne„ ceſſarium imponeret, ſed ejus, quæ in „ pleriſque hominibus inſit, infirmitatis ra„ tionem haberet. „ 110

Resp. Pinytus non Clericis, ſed univerſæ plebi ſuæ perſuadere voluit caſtitatem, ut ad majorem perfectionem eam perduceret. Nam reſpondens Dionyſii Epiſtolæ, rogat, ut ſolidiorem cibum apponat, & perfectionem *plebis* ſuæ promovere ſtudeat. Si autem de Clericis loquitur, intelligi debet de iis, qui in ordinatione proteſtati fuere contra Cælibatum: cujusmodi proteſtatio legitur in Concilio Ancyrano. ſupra n. 103. citato.

Objic. IV. Concil. Nicænum I. can. III. 111 omnium quidem mulierum ſuſpectarum contubernium prohibet Clericis, non ulla facta mentione uxoris. Sic enim habent verba Canonis ex verſione Dionysii exigui. „ In„ terdicit per omnia magna Synodus, non „ Epiſcopo, non Presbytero, non Diacono,

„ nec

„ nec alicui omnino, qui in Clero eſt, lice-
„ re ſubintroductam habere mulierem: niſi
„ forte aut matrem, aut ſororem, aut ami-
„ tam, vel eas tantum Perſonas, quæ ſu-
„ ſpicionem effugiunt.

Resp. Cum illo tempore Clerici ante ordinationem conjugati poſtea cum ſuis uxoribus (absque carnali affectu) cohabitare conſueverint, ſtatuit Synodus, ne occaſione uxoris alias quoque fœminas in domum ſuam reciperent, tanquam famulas, aut ſocias uxoris, quæ ſuſpicionem movere poſſent. Aliter expoſitus Canon probaret, etiam Epiſcopis licuiſſe uſum conjugii, quod nec græci hodie volunt.

112 Objic. V. teſtatur Socrates Hiſt. Eccleſ. Lib. I. cap. XI. & Sozomenus Lib. I. cap. XXIII. Nicænos Patres voluiſſe Clericis uſum conjugii ante ordinationem initi interdicere, a qua tamen intentione eos abſterruerit Paphnutius Epiſcopus Ægyptiacus, ſatis eſſe inquiens, ut qui in Clerum fuiſſent adſcripti, *juxta veterem Eccleſiæ traditionem* jam non amplius uxores ducerent. Cui monito Concilium etiam adquievit.

Resp. Multis, & ipſi etiam Valesio in not. ad Socratem ſuſpecta videtur iſta narratio. Thomassinus arbitratur, Socratem illa verba *juxta veterem Eccleſiæ traditionem* de ſuo addidiſſe. Alii reſpondent, Concilium voluiſſe pœnis animadvertere in Clericos incontinentes: quod improbaverit Paphnutius,

nutius, judicans, diſſimulandum eſſe hoc malum metu majoris, v. g. ſchismatis. Denique dici poteſt, Paphnutium loqui de Clericis, qui tempore ordinationis proteſtati fuerant contra jugum continentiæ.

Objic. VI. Gregorius Nazianzenus a Patre ſuo Gregorio jam Epiſcopo fuit genitus, quod probatur ex carmine Nazianzeni de vita ſua, ubi Patrem ſuum ita loquentem inducit: 113

Nondum tot anni ſunt tui, quot mihi
in ſacris jam ſunt conſumpti victimis.

Resp. Multis documentis probat Natalis Alexander, Gregorium Nazianzenum natum fuiſſe ante Patris ordinationem. Bollandiani ſuſpicantur errorem in carmine Græco Nazianzeni, ex incuria librarii, ſicque legendum judicant, ex græco verſum: *ætas peracta tam longa nondum eſt tibi, quot Eteſiarum tranſiit tempus mihi.*

Objic. VII. Extat Epiſtola S. Udalrici Epiſcopi Auguſtani ad Nicolaum Romanum Pontificem pro tollendo Clericorum Cælibatu. *ergo* &c. 114

Resp. Fabulam hanc affictam fuiſſe S. Udalrico, probat Cl. D. Amort; quia tempore hujus Epiſcopi nullus fuit Romanorum Præſulum nomine Nicolai inſignitus. Nam Nicolaus I. mortuus eſt, antequam Udalricus naſceretur: Nicolaus autem II. centum annos poſt Udalricum Pontificatum tenuit.

nuit. vid. Card. Gotti Colloq. X. contra Picenium. Ipſe Udalricus in Synodo Auguſtana anno 952. celebrata Can. XI. Clericorum Cælibatum urget.

115 Objic. VIII. Concilium Gangrense can. IV. damnat Euſtathium hæreticum, eoquod homines ſe ſeparare doceret ab illis Presbyteris, qui uxores ſuas retinebant, quas dum eſſent laici, legitimo modo ſibi copulaverant, eorum benedictionem & communionem inſtar piaculi declinandam eſſe dictitans. Verba Canonis ſunt hæc. „ Si „ quis de Presbytero, qui uxorem duxit, „ contendat, non oportere eo ſacra cele- „ brante oblationi communicare, ſit ana- „ thema.

Resp. Euſtathius nuptias penitus damnabat, etiam a laicis ante ordinationem celebratas, atque ideo cum Clericis ſic conjugatis communicare noluit, quod merito proſcripſit Concilium Gangrense, ut conſtat ex Socrate Hiſt. Eccleſ. Lib. II. cap. XXXXIII.

116 Objic. IX. Synesius ordinatus fuit Epiſcopus Ptolemaidis, quamvis proteſtaretur, ſe nolle uxorem dimittere, nec a liberis procreandis abſtinere, ut ipſe ſcribit Epiſt. CV. ad fratrem. *ergo.*

Resp. Syneſium ſimulato hoc animo dixiſſe, ut ab onere Epiſcopatus, quo ſe judicabat indignum, liberaretur: ſicut etiam quædam finxit in fide repugnantia, quibus tamen erroribus haud erat imbutus.

CAPUT

CAPUT III.

DE ORDINIBUS IN SPECIE.

§. I.

De Epiſcopatu.

Epiſcopi nomen *inſpectorem* denotat, atque 117 primis temporibus ſacerdotibus etiam ſecundi ordinis promiſcue tribuebatur, uti contendunt non nulli. Varii ſunt Epiſcoporum gradus, non quidem ordine, ſed jurisdictione & dignitate diſtincti. I. Romanus Pontifex univerſæ Eccleſiæ Caput. II. *Patriarchæ*, qui olim erant quatuor, *Romanus* in occidente, in oriente *Alexandrinus*, *Antiochenus*, *Jeroſolymitanus*: quibus additus fuit poſtea *Conſtantinopolitanus*, *Aquilejenſis*, ac noviſſime *Uliſſipontanus*. III. *Exarchi* ſeu *Primates*, qui præſunt integræ Provinciæ, vel regno in plures metropoles diviſo. IV. *Archiepiſcopi*, hi ſub ſe habent plures *diœceſes*, quibus præſunt ſinguli *Epiſcopi*, quemadmodum v. g. *Salisburgenſis*, *Moguntinus* &c. Quæritur autem hoc loco I. an, & quo jure, divino, an humano Epiſcopi Presbyteros antecellant. II. An Epiſcopatus ſit ordo a Presbyteratu *adæquate* diſtinctus. III. Quæ illius materia, & IV. forma eſſentialis. V. An ad ordinandum Epiſcopum tres Epiſcopi neceſſario requirantur?

118 Primam quæſtionem quod attinet, Catholicum dogma eſt, Epiſcopos divino jure & ex ipſius Chriſti inſtitutione a Presbyteris diſtingui, hisque ordinis poteſtate præeminere, quod primus omnium negavit Aerius ſæculi IV. hæreticus: „ Qui cum eſſet Presbyter, doluiſſe fertur, quod Epiſcopus non potuit ordinari, & in Arianorum hæreſin lapſus, propria quoque dogmata addidiſſe, dicens, Presbyterum ab Epiſcopo nulla differentia debere diſcerni: „ verba ſunt S. Auguſtini hæreſi 53. Eadem ambitio Epiſcopatus Wigorníenſis, quem ſpe devoraverat, ſed conſequi non potuit, Wiclefo occaſionem præbuit, priſtinum errorem pridem extinctum ſuſcitandi, & per Proteſtantes ad hæc usque tempora propagandi; Qui licet in eo omnes, Anglis quibusdam exceptis, conveniant, diſcrimen Epiſcopos inter & Presbyteros humano ſolum jure introductum fuiſſe, ſatis tamen diſcordes ſunt circa illam temporis epocham, quo hæc differentia ſtatuta fuit, quorum opiniones recenſui Diſſertatione III. §. III. *de Hierarchia*, quæ hoc ipſum argumentum pertractat.

119 Resolutio I. Epiſcopi divino jure a Presbyteris diſtinguuntur, hosque antecellunt.

Prob. I. Apoſtoli divino jure diſtincti erant a ſeptuaginta diſcipulis: atqui Apoſtolis eodem jure ſuccedunt Epiſcopi & Septuaginta

ginta discipulis Presbyteri: ergo hi eodem jure divino ab invicem distinguuntur. *Maj. prob.* Apostolus ex definitione illustris MOSHEMII in Institut. Hist. Eccles. saec. I. P. II. cap. II. §. III. pag. 43. „ Erat homo divini„ tus institutus, & a Christo cum potestate „ leges ferendi, sontes & improbos, si e re „ videretur, coercendi, miracula denique „ faciendi, si opus videretur, ad mortales „ missus, ut voluntatem divinam viamque „ salutis ubique patefaceret, hominesque „ voci divinae obedientes a reliqua turba se„ gregaret, & societatis vinculo colligaret. „ Addo ego, & Sacramenta conficeret, ipsosque Ecclesiae ministros ordinaret, quod nulli unquam praeter Apostolum seu Episcopum in tota antiquitate licuit. Quamvis autem & septuaginta discipuli ab ipsomet Christo pariter instituti fuerint, non tamen eamdem cum Apostolis potestatem acceperunt, quod inde colligitur; quia Mathias unus e LXX. discipulis, ut vult Hugo GROTIUS annot. in Luc. X. 1. ad Apostolatum per mortem Judae vacantem, solenni ritu fuit promotus: quod utique supervacaneum fuisset, si eamdem jam antea potestatem habuisset. *ergo* &c.

Prob. etiam *minor*, Episcopos Apostolis succedere. Haec enim fere unanimis erat SS. Patrum traditio. Sic ut vel paucos commemorem. CLARUS a Muscula Episcopus in Concilio Carthaginensi apud Cyprianum Tom. II. operum edixit: „ Manifesta- 120

„ est sententia Domini nostri Jesu Christi, „ Apostolos suos mittentis, & ipsis solis po„ testatem a Patre sibi traditam permitten„ tis, quibus nos successimus eadem pote„ state Ecclesiam Domini gubernantes. „ Ipse S. CYPRIANUS Epist. 69. consentit: „ Christus dicit ad Apostolos, ac per hoc ad „ omnes praepositos, (Episcopos) qui Apo„ stolis vicaria ordinatione succedunt: *Qui* „ *vos audit me audit* &c. „ Hinc & TERTULLIANUS lib. de Praescript. cap. 32. Episcopos ab Apostolis vel successoribus eorum constitutos; Apostolici seminis traduces appellat. Sed S. HIERONYMUS, quem oppositae opinionis Patronum fingunt, epist. 85. ad Evangelum scribit: „ Ubicunque fuerit „ Episcopus, sive Romae, sive Eugubii - - - „ ejusdem meriti, ejusdem est Sacerdotii „ - - - omnes Apostolorum successores. „ Et in Psalmum XLIV. 14. exponens illud: *Pro Patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues eos Principes super omnem terram*, ita scribit: „ O Ecclesia, Apostoli Patres tui, qui ipsi „ te genuerunt. Nunc autem quia illi re„ cesserunt a mundo, habes pro his Episco„ pos filios, qui a te creati sunt „ hoc est, electi sunt. Atqui filius in jura Patris ordinaria succedit. *ergo.*

Denique idem HIERONYMUS in epistola ad Fabiolam de 40. mansionibus exponens illud Exod. XV. 27. *Venerunt autem in Elim filii Israel, ubi duodecim erant fontes aquarum,*

&

& ſeptuaginta palmæ, Epiſcopos tamquam Apoſtolorum ſucceſſores a Presbyteris velut *gradu inferiores* diſtinguit. His verbis: „ Nec dubium, quin ad duodecim Apoſto- „ los ſermo ſit, de quorum ſontibus deriva- „ tæ aquæ totius mundi ſiccitatem rigant. „ Juxta has aquas ſeptuaginta creverunt „ palmæ, quos & ipſos *ſecundi ordinis* intel- „ ligimus præceptores, Luca Evangeliſta „ teſtante, duodecim fuiſſe Apoſtolos, & „ LXX. diſcipulos *minoris gradus* - - - de „ quibus & Paulus refert, quod apparuerit „ primum undecim, deinde Apoſtolis omni- „ bus: alios volens intelligi *primos*, & alios „ *ſecundos* Chriſti diſcipulos. „ Sed & hoc notiſſimum eſt, Epiſcopos olim, eoquod A-poſtolorum ſucceſſores eſſe crederentur, *A-poſtolos* appellatos fuiſſe, ut obſervat THEODORETUS comment. in I. Timoth. III. 1.

Prob. II. Ex ipſa S. Scriptura colligi- 121
tur, Epiſcopos Presbyteris ſuperiores eſſe; nam 1. Apoſtoli Presbyteris ſemper præponuntur in Actis Apoſtol. 2. Illi propria auctoritate conſtituerunt Presbyteros Act. XIV. 22. eamdemque poteſtatem ordinatis a ſe Epiſcopis tribuerunt: *Hujus rei gratia*, ait Paulus ad Titum I. 5. *Reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per civitates Presbyteros, ſicut & ego conſtitui tibi.* 3. Epiſcopi erant Presbyterorum Judices conſtituti, etiamſi his ipſis Juniores exſtitiſſent. Nam Timotheus Juvenis erat, & eum

tamen Presbyterorum Judicem ordinarium agnoſcit Paulus I. Tim. V. 19. *Adverſus Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus.* Atqui Judex accuſato ſuperior eſt. Ex hoc ipſo autem loco adverſus AERIUM argumentum depromit EPIPHANIUS hæreſ. 75. pro Epiſcoporum ſupra Presbyteros eminentia.

122 *Prob. III.* Traditione primorum Patrum, quos e primo & ſecundo ſæculo longo agmine allegavi in Diſſertatione III. §. III. de Hierarchia Eccleſ. unde ſolum ex epiſtolis S. IGNATII genuinis quædam transſcribam. Sic ille in Epiſt. ad Magneſianos n. 3. „ Vos „ decet non familiarius ac ſuperbe uti æ„ tate Epiſcopi, ſed ſecundum virtutem Dei „ Patris omnem impertiri illi reverentiam, „ quemadmodum novi ſanctos facere Pres„ byteros, non reſpicientes ad apparentem „ juvenilem ordinationem, ſed ut prudentes „ in Deo, cedentes ipſi; non ipſi autem, „ ſed Deo Patri omnium Epiſcopo. In ho„ norem ergo illius qui vult, decet vos o„ bedire ſine ulla hypocriſi, quia nequaquam „ hunc Epiſcopum fallit, qui videtur, ſed „ illudit inviſibili. „

In Epiſt. ad Trallian. n. 2. „ Cum Epi„ ſcopo ſubjecti eſtis, ut Jeſu Chriſto, vide„ mini mihi non ſecundum homines, ſed ſe„ cundum Jeſum Chriſtum vivere. „

In Epiſt. ad Smyrn. n. 8. „ Omnes E„ piſcopum ſequimini, ut Jeſus Chriſtus Patrem,

„ trem & Presbyterium ut Apoſtolos, Dia-
„ conos autem revereamini ut Dei manda-
„ tum. Sine Epiſcopo nemo quidquam fa-
„ ciat eorum quæ ad Eccleſiam ſpectant.
„ Rata Euchariſtia habeatur illa, quæ ſub
„ Epiſcopo fuerit, aut cui ipſe conceſſerit.
„ Ubi comparuerit Epiſcopus, ibi & multi-
„ tudo ſit, quemadmodum ubi fuerit Chri-
„ ſtus, ibi Catholica eſt Eccleſia. Non licet
„ ſine Epiſcopo neque baptizare, neque a-
„ gapen celebrare; ſed quodcunque ille pro-
„ baverit, hoc & Deo eſt beneplacitum, ut
„ tutum ratumque ſit, quodcunque agitur. „
Et ita fere in omnibus aliis epiſtolis e quibus
conſequitur, Epiſcopos non ætatis honore,
ſed *poteſtatis* auctoritate cæteris fuiſſe præ-
poſitos, & Chriſti Perſonam repræſentaſſe,
adeoque etiam ſupra Presbyteros divino jure
eminuiſſe.

Reliquorum omnium Patrum loco unum 123
adduco Hieronymum, quia in cauſæ ſuæ
patrocinium illum præprimis advocant Pro-
teſtantes. Sic autem ille lib. II. contra Jo-
vinianum. „ In veteri teſtamento & novo
„ alium ordinem Pontifex tenet, alium Sa-
„ cerdotes, alium Levitæ. „ & epiſt. ad E-
vangelum. „ Et ut ſciamus traditiones A-
„ poſtolicas, ſumtas de veteri teſtamento,
„ quod Aaron & filii ejus atque Levitæ in
„ templo fuerunt, hoc ſibi Epiſcopi & Pres-
„ byteri & Diaconi vendicent in Eccleſia. „ &
epiſt. ad Nepotianum. „ Quod Aaron &

„ filios ejus, hoc esse Episcopum & Presby„ terum noverimus. „ Atqui indubitatum est, Pontificem, cui succedit Episcopus, a simplici sacerdote, cui Presbyter succedit, divino jure fuisse distinctum, nec eamdem potestatem sacerdotibus competiisse, qua praeditus erat summus sacerdos. *ergo.*

124 *Prob.* ratione. Si Episcopi non ipso jure divino supra Presbyteros primatum accepissent, tunc deberet ostendi, quando, & qua ratione insignis hæc mutatio contigisset. Atqui hoc ostendi nequit; nam in Assignanda hac epocha ita inter se discordant Protestantes, utquamvis ad instar vulpium Samsonis caudis colligati in diversissima tamen abeant. Neque etiam ulla ratione vero simile est, quod Presbyteri tam facile & sine tumultu jure æqualitatis, a Christo, ut fingitur, accepto se passi fuissent privari. Atqui tumultus cujusdam nullum extat vestigium in tota Historia Ecclesiastica. Ergo evidens signum est, Episcopos ab ipso Ecclesiæ exordio, & ex ipsa Christi institutione Presbyteris superiores fuisse.

125 Objic. I. Christus in Apostolis reprehendit omnem ambitionem primatus. Luc. XXII. 24. ergo voluit omnes esse æquales.

II. Qui in S. Scriptura dicuntur Presbyteri, illi etiam passim vocantur *Episcopi.* ut Actor. XX. 17. 28. A Mileto Paulus mittens Ephesum vocavit majores natu τοὺς πρεσβυτέρους Ecclesiæ. Deinde autem eos ita alloqui-

loquitur: attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos ſpiritus S. poſuit *Epiſcopos* regere Eccleſiam Dei. Ergo Presbyteri idem erant, quod Epiſcopi.

Resp. ad I. Chriſtus reprehendit quidem ambitionem, non autem Primatum legitimo jure conceſſum; non enim ait loc. cit. Qui inter vos primus eſſe *vult*, ſed: Qui Major eſt in vobis, per humilitatem *fiat ſicut minor*. Nam & ipſe, utique divino jure Primas, Apoſtolis tamen miniſtrare non renuit, exemplum modeſtiæ illis relicturus.

Resp. ad II. *diſt. conſeq.* Ergo Presbyteri idem erant, quod Epiſcopi, ſecundum *nomen*, tunc utrisque commune, *conc.* ſecundum poteſtatem, *nego*.

Resp. III. Paulus non ſolum Presbyteros Epheſinæ Eccleſiæ, ſpecifice ſic dictos, ſed vicinos quoque Epiſcopos convocavit, ut teſtatur S. Irenæus temporum illorum vicinus ſcriptor, lib. III. 14. „ In Mileto convocatis Epiſcopis & Presbyteris, qui erant ab Epheſo, NB. & a reliquis proximis civitatibus.

Objic. II. Si primis temporibus ſingu- 126
lis Eccleſiis præfuiſſent Epiſcopi, tunc ipſorum nomina referrentur in epiſtolis, quas Eccleſiæ ad invicem miſerunt. Atqui non leguntur. *ergo*.

Resp. Omnes fere illæ Epiſtolæ, quae adhuc exſtant, eo tempore ſcriptæ fuerunt,

quo ſedes Epiſcopales vacabant, ſic epiſtola ab Eccleſia Achaica ſcripta fuit poſt martyrium S. Andreae Apoſtoli. Epiſtola Eccleſiæ Smyrnenſis poſt mortem S. Polycarpi. Sic Epiſtola Eccleſiarum Viennenſis & Lugdunenſis poſt martyrium S. Pothini Epiſcopi &c.

Sed & nimium ex hoc argumento ſequeretur, quod neque Presbyteri, neque Diaconi, quorum non in omnibus iſtis epiſtolis fit mentio, in Eccleſiis exſtitiſſent, quod utique manifeſte falſum eſt.

127 Objic. III. S. Hieronymus comment. in epiſt. ad Titum tria docet: 1. Eundem eſſe Presbyterum, qui Epiſcopus. 2. Olim communi conſilio Presbyterorum Eccleſias fuiſſe gubernatas. 3. Deinde vero propter ſchismata in toto orbe decretum fuiſſe, ut unus de Presbyteris electus cæteris præponeretur. Ergo non niſi humano jure Epiſcopi a Presbyteris diſtinguuntur. *Ant. prob.* Ipſiusmet verbis: „ Idem ergo eſt Presbyter „ qui Epiſcopus, & antequam diaboli inſtin„ ctu ſtudia in Religione fierent, & dicere„ tur in populis: ego ſum Pauli, ego Apol„ lo, ego autem Cephæ, communi Presby„ terorum conſilio Eccleſiæ gubernabantur. „ Poſtquam vero unusquisque eos, quos ba„ ptizaverat, ſuos putabat eſſe, non Chri„ ſti, in toto orbe decretum eſt, ut unus de „ Presbyteris electus ſuperponeretur cæte„ ris, ad quem omnis Eccleſiæ cura perti„ neret,

„ neret, & ſchismatum ſemina tollerentur „ - - - ſicut ergo Presbyteri ſciunt, ſe ex „ Eccleſiæ conſuetudine ei, qui ſibi præpo- „ ſitus fuerit, eſſe ſubjectos: ita Epiſcopi „ noverint, ſe magis conſuetudine quam „ Dominicæ diſpoſitionis veritate eſſe majo- „ res, & in commune debere Eccleſiam re- „ gere. &c.

Resp. ad I. *diſt.* Presbyter eſt idem quam Epiſcopus, quoad aliqua, *conc.* quoad omnia, *nego.* eſt ergo idem; 1. quoad *nomen,* quod olim utrisque fuit commune. 2. Quoad Sacerdotium & poteſtatem conſecrandi Euchariſtiam. 3. Quoad jurisdictionem abſolvendi a peccatis, quamvis hanc ipſam ab Epiſcopo accipiat, ille autem probabilius *immediate* a Chriſto. Non eſt autem idem quoad poteſtatem ordinandi, ſeu ordines conferendi; hanc enim ſoli Epiſcopo competere, ipſe Hieronymus agnoſcit, in epiſt. ad Evang. ſcribens: „ Quid facit *excepta or-* „ *dinatione* Epiſcopus, quod Presbyter non „ faciat? „

Resp. ad II. *diſt.* Communi conſilio Presbyterorum Eccleſiæ gubernabantur, & hoc de libero Epiſcoporum conſenſu, *conc.* de neceſſitate & inſtitutione Chriſti, *neg.*

Resp. ad III. In toto orbe decretum eſt, quæro: quo ſæculo? quo in Concilio? cujus tamen nullum exſtat veſtigium. Itaque Apoſtoli & conſtituti ab iisdem Epiſcopi, quamvis ipſi ſoli ſuprema auctoritate

Ecclesiæ negotia administrare potuissent, ab initio tamen hac potestate uti noluerunt, sed libere etiam Presbyteros ad consilium adhibebant, ut patet e Concilio Hierosolymitano. Quoniam vero inde dissensiones & schismata oriebantur, ut Corinthi, & inter galatas contigit, decreverunt Apostoli, ut ad unum Episcopum, jam prius e Presbyteris electum & ordinatum, totius Ecclesiæ cura rediret, sicque schismatum occasio amputaretur. Certe ipse Christus pro sua sapientia hæc omnia prævidere debuit, & iisdem haud dubie providere voluit, suprema potestate uni Episcopo concessa. Cæterum quamvis ætate S. CYPRIANI de Episcoporum superioritate nemo ambigeret, ipse tamen ea erat modestia, ut ad consilium non solum Presbyteros, & Clerum, sed etiam plebem admitteret, ut constat ex ejus epistola 5. ubi scribit: „ Ad id, quod scripserunt mihi „ compresbyteri nostri - - - solus respon„ dere nihil potui, quando a primordio Epi„ scopatus mei statuerim, nihil sine consilio „ vestro & sine consensu plebis mea privatim „ sententia gerere. Sed cum ad vos per Dei „ gratiam venero, tunc de iis in commune „ tractabimus. „ Istud ergo de *Ecclesiæ consuetudine* venisse existimat HIERONYMUS, quod pro temporum & rerum varietate Episcopus nunc solus, nunc participatis cum Presbyterio consiliis totius Ecclesiæ suæ negotia moderetur: non autem quod *solo* humano

mano jure auctoritatem supra Presbyteros obtinuerit.

Objic. IV. Idem Hieronymus in Epistola ad *Evangelum* scribit. „ Quod autem „ postea unus electus est, qui cæteris præ- „ poneretur, in schismatis remedium factum „ est, ne unusquisque ad se trahens Eccle- „ siam rumperet. Nam & Alexandriæ a „ Marco Evangelista usque ad Heraclum & „ Dionysium Episcopos, Presbyteri semper „ unum ex se electum in excelsiori gradu „ collocatum Episcopum nominabant: quo- „ modo si exercitus imperatorem faciat, aut „ Diaconi eligant de se, quem industrium „ noverint, & Archidiaconum vocent. Quid „ enim facit excepta ordinatione Episcopus, „ quod Presbyter non faciat? &c. „ ergo solum humano jure &c. 128

Resp. ad primam partem textus, ut num. præc. Equidem humano ex jure descendit, ut iste ex reliquis in Episcopum eligatur: postquam autem iste electus in Episcopum consecratus fuit, divino jure & ordinis sui charactere reliquos antecellit.

Resp. ad alteram partem. Loquitur S. Hieronymus de speciali consuetudine, quæ viguit in Ecclesia Alexandrina, qua jus suffragii in electione Episcopi solis competiit Presbyteris, unum de suo gremio constituendi, qui tamen semel nominatus ab aliis Episcopis ordinari debuit. Nam ordinis potestatem simplici Presbytero disertis verbis in obje-

objectione allegatis Hieronymus denegat. caeterum de hac Ecclesiæ Alexandrinæ consuetudine ab aliis Ecclesiis diversa, ubi a comprovincialibus Episcopis cum testimonio plebis eligi solebant viduatæ Ecclesiæ Pastores, egi dissertatione de Magistratuum Ecclesiasticorum creatione n. 79. & n. 89.

129 OBJIC. V. AMBROSIASTER, seu HILARIUS Diaconus, aut quisquis alius sub nomine S. AMBROSII comment. in I. Tim. III. inter opera Ambrosiii Tom. II. in appendice scribit: „ Episcopi & Presbyteri una ordinatio est. Uterque enim sacerdos est, sed „ Episcopus primus est, ut omnis Episcopus „ Presbyter est, sed non omnis Presbyter „ Episcopus; hic enim Episcopus est, qui „ inter Presbyteros primus est. „ Ergo utrique ejusdem ordinis sunt, nec nisi humana prærogativa discreti.

RESP. *dist.* Una ordinatio est, quantum ad characterem sacerdotalem, & potestatem in corpus Christi verum, *conc.* quantum ad characterem Episcopalem, & potestatem ipsos Presbyteros ordinandi, *neg.* nam ipse Ambrosiaster fatetur, quod non omnis Presbyter Episcopus sit, quia ordines, tribuere non valet; sic enim pergit: „ Denique Timo„ theum Presbyterum ordinatum significat; „ sed quia ante se alterum non habebat, E„ piscopus erat: unde & quemadmodum „ Episcopos ordinet, ostendit; NB. neque „ enim fas erat, ut *inferior ordinaret majorem*,

„ *rem, nemo enim tribuit, quod non accepit.* „ Sed videantur plura de hoc argumento in citata Diſſertatione III. de Hierarchia, quæ tota eſt de Epiſcoporum ſupra Presbyteros eminentia, adverſus illuſtrem Boehmerum vindicata.

Resolutio II. Epiſcopatus eſt ordo & 130
Sacramentum a Presbyteratu adæquate diſtinctum.

Prob. I. Epiſcopatus habet omnia ad verum ordinem & proprium Sacramentum requiſita. 1. Ritum externum. 2. Divinam inſtitutionem, & collationem gratiæ. 3. Diſtinctam a Presbyteratu poteſtatem, *ergo* &c. *anteced. prob.* Ritus externus eſt impoſitio manuum Epiſcopalium cum oratione, de qua loquitur Paulus II. Tim. I. 6. *Admoneo te, ut reſuſcites gratiam, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* Ubi etiam habetur collatio gratiæ. De divina inſtitutione loquitur Paulus Act. XX. *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei* &c.

Prob. II. Patres dicunt, per conſecra- 131
tionem Epiſcopalem dari Spiritum ſanctum. Et utique ad obeundum Epiſcopi munia non minus conveniens & neceſſaria eſt gratia, quam ad aliorum ordinum functiones.

Prob. III. Epiſcopatus imprimit characterem indelebilem, hinc repeti non poteſt, quod conſtat ex dictis §. III. cap. præced.

Prob.

132 *Prob. IV.* Episcopatus a Patribus expresse *Sacramentum* appellatur. Sic TERTULLIANUS de praescript. cap. 40. de daemone, ipsas quoque res *Sacramentorum* divinorum in idolorum mysteriis aemulante, loquens: „ Tingit & ipse quosdam utique fideles suos „ - - initiat mithra, signat in fronte mili- „ tes suos - - - Quid quod & summum „ Pontificem in unis nuptiis statuit - - - „ Quid ergo ipsas res, de quibus Sacramen- „ ta Christi administrantur, tam aemulanter „ affectavit exprimere in negotiis idololatriae &c. „ LEO Magnus epist. XI. ad Dioscorum Alexandrinum cap. I. „ A vobis hoc volu- „ mus custodiri, ut non passim diebus o- „ mnibus sacerdotalis vel Levitica ordinatio „ celebretur, sed post diem Sabbati - - - „ jejunis & a jejunantibus sacra benedictio „ conferatur, ut intelligamus, quanta & „ dantium & accipientium devotione curan- „ dum sit, ne tantae benedictionis *Sacra-* „ *mentum* negligenter videatur impletum. „ Et serm. I. in anniversario suae assumptionis ad Episcopatum, Pontificalem gradum *divini Sacerdotii Sacramentum* appellat.

S. GREGORIUS M. lib. 4. in I. Regum cap. 5. „ Qui in culmine Sacerdotii poni- „ tur, *Sacramenta* suscipit unctionis. Quia „ vero ipsa unctio *Sacramentum* est, is qui „ promovetur, bene foris ungitur, si intus „ virtute *Sacramenti* roboratur.

133 *Prob. V.* Patres passim distinguunt duos gradus Sacerdotii. In primo collocant Episcopos,

ſcopos, in altero Presbyteros. Aut recenſent tres ordines, Epiſcopatus, Presbyteratus, & Diaconatus, uti DIONYSIUS Areopagita de Eccleſ. Hierarch. cap. V.

134 *Prob. VI. Ratione.* In Epiſcopatu traditur poteſtas *adæquate* diſtincta a Presbyteratu, nempe facultas ordinandi Presbyteros & Epiſcopos, quod non poteſt nudus Presbyter: ergo eſt ordo & Sacramentum *adæquate* a Presbyteratu diſtinctum: Ex eo enim, quod Presbyter habeat poteſtatem diſtinctam a Diaconatu, nempe conficiendi corpus Chriſti, & abſolvendi a peccatis, legitime infertur, eſſe Sacramentum à Diaconatu adæquate diſtinctum. Ergo id etiam legitime infertur de Epiſcopatu.

135 OBJIC. I. Si Epiſcopatus eſt ordo a Presbyteratu adæquate diſtinctus, tunc dantur plures quam 7. ordines: quod eſt contra communem.

II. Ordinum diverſitas deſumitur a vario ad Evchariſtiam reſpectu: atqui Epiſcopatus non habet alium reſpectum ad Evchariſtiam, quam Presbyteratus; cum uterque eodem modo conficiat corpus Chriſti, *ergo* &c.

III. Si Epiſcopatus eſt ordo diſtinctus, tunc eſſet major Presbyteratu: atqui non poteſt eſſe major; quia non datur poteſtas excellentior, quam conficiendi corpus Chriſti, quam tribuit Presbyteratus, *ergo*. &c.

IV. Si Epiſcopatus eſt ordo diſtinctus, tunc poſſet ſine Presbyteratu conſiſtere; quæ enim

enim adæquate diſtinguuntur, ſeparari poſſunt. At *minor* eſt falſa; cum non poſſit eſſe Epiſcopus, qui non fuerit Presbyter. *ergo* &c.

Resp. ad I. *diſting. maj.* Eſſent plures ordines *partiales*, *conced.* plures ordines *generici*, *neg.* Sacerdotium poteſt dici genus, involvens duas ſpecies, Epiſcopatum, & ſacerdotium *proprie* dictum, ſeu Presbyteratum. Sic, licet dentur ſeptem Sacramenta generice; tamen Sacramentum ordinis plura involvit Sacramenta ſpecifica.

Resp. ad II. *neg. min.* Epiſcopi enim non ſolum conficiunt Evchariſtiam, ſed eam conſecrandi poteſtatem tradunt, qui eſt reſpectus diverſus.

Resp. ad III. concedo *maj. neg. min.* ipſa enim conceſſio poteſtatis, conſecrandi corpus Chriſti, eſt aliquid majus, cum hæc ab illa dependeat.

Resp. ad IV. Nego *ſeq. Maj.* Nec enim a reali diſtinctione ad realem ſeparationem legitima fit deductio. Sic: quamvis numeri inter ſe diſtinguantur, non poteſt tamen ternarius eſſe ſine binario, quia hunc involvit: ita Epiſcopatus neceſſario involvit & præſupponit Presbyteratum. Sacramenta omnia realiter diſtinguuntur a Baptismo: nec tamen poteſt ullum Sacramentum ſine Baptismo conſiſtere, qui eſt cæterorum fundamentum. Ita quoque Presbyteratus eſt fundamentum Epiſcopatus.

Reſo-

RESOLUTIO III. Materia Episcopatus 136
nec est impositio Codicis Evangeliorum, nec unctio, sed sola manuum impositio.

Prob. I. pars. Materia, quae est essentialis, debet semper fuisse talis: atqui codex Evangeliorum non fuit semper impositus;
Apostoli enim quosdam ordinarunt Episco- 1
pos, antequam scriptum fuerat Evangelium. In Hispania saeculo VII. non usurpabatur ista impositio codicis capiti ordinandi; nam ISIDORUS Lib. II. *de divinis officiis* minutim recensens ritus omnes in ordinatione Episcopi adhiberi solitos, eosque ad morum instructionem exponens, hujus non meminit. ALUCINUS & AMALARIUS scribunt, hunc ritum tantum adhiberi *a quibusdam.* Author constitut. Apost. L. VIII. cap. IV. vult, ut Diaconi divina Evangelia super caput ejus, qui ordinatur, aperta teneant; atqui Diaconi non possunt ordinare Episcopum: igitur nec adhibere ejus materiam essentialem. Aliis in locis non consecrator Episcopus, sed duo Assistentes imponebant codicem absque prolatione formae, quam postea solus consecrator fundebat. Uti constat ex ritualibus apud MARTENE.

Prob. II. pars. de unctione. Graeci ha- 137
bent veros Episcopos; atqui hi non solent ungi in ordinatione, ut certo constat ex eorum Euchologiis. Itaque sola manus impositio, de qua constat ex sacra Scriptura, & ab omnibus ubique fuit adhibita, est materia es-

ſentialis, cujus etiam ſolius fit mentio apud Patres, ubi de Epiſcopatu ſermo eſt. Probabilius quoque ſola impoſitio manus, quæ fit ab Epiſcopo conſecratore, qui ſolus fundit orationem ſeu formam, non item Epiſcoporum adſtantium, ad eſſentiam pertinet.

138 Resolutio IV. Forma ordinationis Epiſcopalis non conſiſtit 1. in his verbis: *accipe Spiritum ſanctum:* 2. Nec in verbis, quæ unctionem vel traditionem inſtrumentorum comitantur: 3. Nec apud Græcos in illis verbis: *Divina gratia promovet N. in Epiſcopum:* 4. Sed in precibus & orationibus, quas Epiſcopus conſecrator fundit ſuper ordinandum.

Prob. I. pars. Illa verba nec apud Græcos adhibentur, nec apud Latinos in antiquis Ritualibus extant, ut teſtatur Morinus & Martene. Atqui forma eſſentialis debet ſemper fuiſſe in uſu. 2. Forma debet conſiſtere in verbis, quæ denotant effectum ordinis proprium; atqui hæc verba, utpote nimis generalia, & quæ etiam proferuntur in ordinatione Presbyterorum, non exprimunt poteſtatem Epiſcopis propriam. *ergo* &c.

139 *Prob. II.* pars. Ipſa inſtrumentorum porrectio non eſt materia ex dictis: ergo verba eam comitantia non ſunt forma ordinationis.

140 *Prob. III.* pars. Illis verbis ſolum fit promulgatio factæ electionis ſeu promotionis, &

& uſurpabatur quoque in Epiſcoporum ad aliam Eccleſiam translatione, qui utique nova ordinatione non indigebant, nec ſine ſacrilegio iterum ordinari poterant.

II. Illa verba non ſemper & ubique fuerunt adhibita: ergo non ſunt forma. *Anteced.* probatur. Nequidem auctor conſtitutionum, qui tamen ritum ordinationis accurate deſcribit, hæc verba habet. Refert quoque THEODORETUS in *Philoteo* cap. XIII. & XIX. duos Aſcetas fuiſſe ordinatos, quin ordinationem adverterent: atqui debuiſſent advertere, ſi præceſſiſſet illa promulgatio. *ergo.* &c.

III. Hæc verba proferuntur eo tempore & loco, quo forma proferri non debet: ergo non ſunt forma. *Anteced.* probatur. Recitantur, antequam impoſita fuerat manus: cum tamen forma debeat materiam conſequi aut comitari: & recitantur in ipſo Eccleſiæ limine; cum tamen apud Græcos ordinatio fiat in ſanctuario.

IV. Forma confert gratiam, & eam exprimit: atqui iſta verba non denotant collationem gratiæ: ſed poſt illa primum orat conſecrator, ut electus & *conſecratus* eam conſequatur. *ergo* &c.

Prob. IV. pars. Orationis tantum, & 141
impoſitionis fit mentio in ordinatione Pauli & Barnabæ Act. XIII. 3. Auctor quoque conſtitutionum Lib. VIII. Cap. IV. & V. ſolas commemorat orationes impoſitionem manus

nus comitantes. S. AUGUSTINUS de gestis cum Emerito ait: „ Invocatio nominis Dei „ super caput ipsorum, quando ordinantur „ Episcopi, invocatio illa Dei est, non Do„ nati. Non enim suscipio Episcopum, si, „ quando est ordinatus, super caput ejus Do„ natus est invocatus. „ idem scribit Lib. II. contra Crescent. cap. X. DIONYSIUS Areopag. de Eccles. Hier. cap. V. „ A conse„ crante eum Pontifice sanctissimis invoca„ tionibus consecratur. Et Paulo post san„ ctis precationibus sanctificatus. „ hinc scribit INNOCENTIUS IV. super cap. *Presbyter.* de Sacramentis non iterandis. „ De „ ritu Apostolico invenitur, quod manus im„ ponebant ordinandis, & quod orationem „ fundebant super eos, aliam autem for„ mam non invenimus ab eis servatam. „ Ratio quoque est; solæ orationes denotant „ effectum hujus ordinis proprium: ergo constituunt formam.

142 OBJIC, I. TRIDENTINUM Concilium Sess. XXIII. Can. IV. definit: „ Si quis dixerit, „ per sacram ordinationem non dari Spiritum „ sanctum, ac proinde frustra Episcopos di„ cere: *accipe Spiritum sanctum.* anathema „ sit. „ Ergo hæc verba sunt forma.

II. SIMEON Thessalonicensis de sacris ordinationibus cap. IV. de verbis: *divina gratia*, ait. „ Cum hoc dicit Episcopus, & „ gratiam donat, & qui ordinatur, Diaco„ natum Episcopi verbo statim accipit; effi-

„ cax

„ cax enim eſt per ſanctiſſimum Dei ſpiri- „ tum - - - tunc quidem ſtatim e Subdia- „ cono fit Diaconus. „ Ergo iisdem verbis etiam fit ordinatio Epiſcopi.

III. His verbis dicuntur ordinari *προχειρίζεσθαι. ergo* &c.

Resp. ad I. Tridentinum ſolum vult, in ordinatione dari Spiritum ſanctum, & verificari illa verba: *accipe Spiritum ſanctum.* Non autem definit, quod his verbis tradatur Spiritus ſanctus. Dein loquitur generaliter de ordinatione in genere, non de Epiſcopatu in ſpecie. Atqui hæc verba: *accipe Spiritum ſanctum*, non admittunt Adverſarii pro forma omnium ordinum. Denique noluit Concilium definire controverſias ſcholarum, ſed dogma, per ordinis Sacramentum conferri gratiam Spiritus ſancti, quod negabant Proteſtantes.

Resp. ad II. Simeon vult, illis verbis inchoari ordinationem, qua tota quoad ſubſtantiam completa ſtatim confertur gratia.

Resp. ad III. *diſt.* Dicuntur ordinari, id eſt promoveri ad ordinem per *electionem* ſeu *nominationem*, *conced.* proprie *ordinari* tanquam forma Sacramenti, *neg.*

Resolutio IV. De præcepto Eccleſiæ 143
tres requiruntur Epiſcopi ad ordinandum Epiſcopum: quamvis ad valorem unus ſufficiat.

Prob. I. pars. Ita ſtatuit Can. I. Apoſt. *Epiſcopus a duobus vel tribus Epiſcopis ordi-*

nator. Ita quoque Concilium ARELATENSE I. Can. II. NICÆNUM I. Can. IV. CARTHAGINENSE II. Can. XII. CARTHAGINENSE III. Can. XXX. ARELATENSE II. Can. V. ARAUSICANUM I. Can. XXI. quæ ſtatuunt depoſitionis pœnam, ſi aliter fiat ordinatio. Eundem numerum requirunt Pontifices Romani SIRICIUS Epiſt. IV. Cap. I. INNOCENTIUS I. Epiſt. II. Cap. I. LEO ad Ruſticum Narbon. Cap. I. GREGORIUS M. in reſponſis ad AUGUSTINUM Angliæ Epiſcopum. aliique.

144 *Prob. II.* pars. Apoſtolorum tempore, ubi ad Eccleſias fundandas fuerunt profecti, & Epiſcopos conſtituerunt, vix videtur veroſimile, ſemper ad manum fuiſſe duos alios Epiſcopos, qui Apoſtolo conſecratori aſſiſterent: igitur tunc ſolus Apoſtolus ordinabat Epiſcopum: atqui hoc ipſum auctor conſtitutionum Apoſtolicarum ſub nomine SIMONIS Chananæi in caſu neceſſitatis permittit. lib. VIII. Cap. XXVII. & GREGORIUS M. Epiſt. ad Auguſtinum in Anglia. Quod etiam Gregor. XIII. conceſſiſſe ſcribitur Patriarchæ æthiopico. Imo extant rei hujus exempla vetuſtiora. PAULINUS enim Antiochiæ Epiſcopus in ſui locum ſolus conſecravit Evagrium, ut teſtatur THEODORETUS L. V. cap. XXIII. PELAGIUS I. Romanus Pontifex a duobus ſolis Epiſcopis & uno Presbytero fuit ordinatus. Notat quoque FERRANDUS in Breviario cap. VI. peculiare Romani Pontificis jus eſſe, ut Epiſcopos ſolus ordinare queat.

Sed

Sed nec hodie infrequens eſt, ut ab uno Epiſcopo, duobus Abbatibus ſub mitra aſſiſtentibus, Epiſcopus conſecretur, quod non ita pridem in Germania noſtra contigiſſe, certa relatione mihi innotuit.

Ratio dari poteſt: etiamſi plures adſint 145
Epiſcopi in ordinatione Coepiſcopi, unus tamen ſolum dicitur *Conſecrator*, qui etiam ſolus orationem tanquam formam pronuntiat. Etiamſi Epiſcopi aſſiſtentes ſimul cum eo manus imponant: quemadmodum faciunt Presbyteri aſſiſtentes in ordinatione Presbyteri. Atqui ille, qui formam non pronuntiat cum adhibitione materiæ, non eſt miniſter Sacramenti; ut patet in Baptiſmo: ubi ille, qui aquam affundit, etiam formam proferre debet: ſecus non valet Baptiſmus, uti notum eſt etiam de aliis Sacramentis.

OBJIC. I. Ex Apoſtolica traditione de- 146
ſcendit, ut tres requirantur Epiſcopi in ordinatione Epiſcopi. ergo &c.

II. JOANNES III. in Epiſt. ad Epiſcopos Galliæ & Germaniæ ait, Chorepiſcopos non fuiſſe veros Epiſcopos; quia ordinati tantum erant ab uno Epiſcopo; ergo ſupponit, unum non ſufficere ad veram & validam ordinationem.

RESP. ad I. *Diſt.* Ex Apoſtolica traditione, *humana, conc,* divina, *nego.*

RESP. ad II. Tranſmiſſa Epiſtolæ illius ex ISIDORI mercibus depromtæ auctoritate,

 cum

cum ad consecrationem Episcopi ex Ecclesiæ præcepto tres requirantur Episcopi, Chorepiscopi autem, illi saltem, qui veri Episcopi non erant, non nisi ab uno ordinati fuerint; hinc tuto concludi poterat, Ecclesiam nunquam intendisse illos veros ordinare Episcopos; eoquod leges a se constitutas religiose servare soleat: quæ tamen continuo violatæ fuissent, si Chorepiscoporum ordinatio ab uno Episcopo peracta vere Episcopalis fuisset.

§. II.

De Chorepiscopis.

147 Cum in Ecclesiastica Historia & Conciliis, aliisque veteribus monimentis frequens occurrat Chorepiscoporum mentio, hinc pauca saltem de illis hic inserere statui. Dicuntur autem χωρεπισκοποι non a χόρος quasi choro & Psalmodiæ Directores seu Præcentores, quod erronee nonnulli existimarunt, sed a χωρα, vel χωρος, quod regionem, vel vicum significat, eoquod essent ruri & in villis constituti inspectores gerentes Episcoporum vices; unde & aliquando *Villani* Episcopi appellati fuerunt. Ante sæculum quartum nullum eorum occurrit vestigium, & in oriente primam eorum mentionem fecit Concilium Ancyranum ann. 314. in occidente autem Concilium Regiense anno 439. celebratum; ut adeo eorum origo circa finem sæculi III. figen-

ſigenda videatur. Hæc autem illorum erant officia. 1. Eccleſias ruri in villis aut pagis regebant. 2. Easdem etiam vel alias ſub ſuo diſtrictu conſtitutas viſitabant, dicti propterea etiam περιοδευταὶ, ſeu circuitores, atque idem fere erant, quod hodie Archidiaconi. 3. Singularem quoque pauperum curam gerere debebant. Fruebantur vero & ſuis privilegiis. 1. Quod Litteras formatas ſeu pacificas ad alios Epiſcopos dare potuerint. 2. Quod etſi in villis aut pagis degerent, clero tamen civitatis fuerint adſcripti, & in eadem offerre ac ſacrum celebrare illis licuerit. 3. Quod ordines minores ad Diaconatum excluſive conferre potuerint, de conceſſione ſaltem Epiſcopi. 4. Aliquando & ordines majores conferebant. 5. Et Sacramentum confirmationis adminiſtrabant, ſi tamen legitime fuiſſent conſecrati Epiſcopi, & ab Epiſcopo proprio id illis permitteretur: aut qui veri non erant Epiſcopi, aliquando ut miniſtri extraordinarii & ex privilegio minores ordines, & confirmationem conferebant.

Occaſio Chorepiſcopos conſtituendi non 148
una fuit. 1. Contigit aliquoties, ut Epiſcopi ab invaſoribus, vel perſecutionum tempore e ſuis ſedibus, ad quos legitime ordinati erant, pellerentur, aut ab hæreſi vel ſchismate ad Eccleſiæ unitatem reverterentur, & ab alio Epiſcopo recepto curam alicujus Eccleſiæ obtinerent, illiusque Epiſcopi vices quandoque obirent.

II. Cum Episcopi quidam vastis praeessent Dioecesibus, maxime in germania, & Regum aulas, aut militiam quoque non raro sectarentur, sicque functiones Episcopo proprias obire aut non possent, aut nollent; ideo Vicarios ordinari curarunt, Episcopali charactere insignitos, qui Episcopales functiones peragerent, aut saltem eorum nomine Ecclesias visitarent, & Clero rurali praeessent.

III. Cum Episcopales sedes propter annexa feuda & regalia a Regum aut Principum nominatione penderent, isti frequenter has sedes diutius vacare permiserunt, ut earum interea redditus percipere possent, satis iisdem provisum fore existimantes, si Episcopum quemdam titularem conducerent, qui Episcopalia munia obiret.

149 Quamvis autem ob bene multa inde enata incommoda de Chorepiscoporum abrogatione saepe actum, & per Canones statutum fuerit, nihilominus decimo adhuc saeculo, in Germania saltem, & in hac nostra Bavaria, in Salisburgensi & Frisingensi Ecclesiis Chorepiscopi nominatim occurrunt, donec saeculo demum XII. eorum penitus memoria interiit: etsi in Trevirensi & Coloniensi Ecclesiis adhuc supersint, sed toto coelo a prioribus diversi. De illis ergo antiquis Chorepiscopis agitatur quaestio, an illi omnes veri fuerint Episcopi, quod affirmant plerique Angli apud Binghamum Orig. Eccles. Tom. I. pag. m. 195.

m. 195. & TOURNELY: aut ſimplices fuerint Presbyteri: aut, quod ad veritatem proxime accedere videtur, duplicis generis Chorepiſcopi fuerint, alii quidem Epiſcopali charactere, alii vero Sacerdotali tantum inſigniti, aliquo tamen jurisdictionis Epiſcopalis privilegio adaucti.

RESOLUTIO. Chorepiſcopi per ſe & vi 150
ſuæ ordinationis meri erant Presbyteri: quamvis non raro per accidens Epiſcopali charactere fuerint inſigniti.

Prob. I. Concilium NEO-CÆSAREENSE an. 314. can. 13. aliique Patres adverſus AERIUM ſcribentes, communiter animadvertunt, Chorepiſcopos ad ſimilitudinem LXX. *diſcipulorum* ordinatos fuiſſe. Atqui his ſuccedunt ſimplices Presbyteri, Epiſcopi autem Apoſtolis, ut patet e §. præced. *ergo.* Verba Canonis hæc ſunt ex interpretatione Gentiani HERVETI: „ Vicani (h. e. in vicis conſtituti) Presbyteri non poſſunt in Dominico (Eccleſia) offerre præſente Epiſcopo, „ vel urbis Presbyteris, neque panem dare „ precationis, neque calicem. Sin autem „ abſint, & ſolus ad precationem vocatus „ fuerit, dat. XIV. Chorepiſcopi autem ſunt „ quidem in figura ſeptuaginta; ut autem „ comminiſtri propter ſtudium in pauperes „ offerunt honorati. „ Id vero etiam obſervari meretur, rationem cur Chorepiſcopis in Eccleſia civitatis offerre liceat, hanc dari, quod pauperum curam haberent, ideoque hono-

honorari debeant. Jam autem ſi veri fuiſſent Epiſcopi, tunc ratione ſui ordinis illum honorem multo magis fuiſſent promeriti.

151 *Prob. II.* De ordinaria lege Eccleſiaſtica Epiſcopus a tribus Epiſcopis ordinari debuit, ut conſtat e §. præced. & aliter ordinatus fuerat deponendus, quod contigit in Concilio Regienſi, ubi ordinatio Armentarii a duobus Epiſcopis temere convenientibus facta, irrita declarata, & contra Canones ordinato per indulgentiam permiſſum fuit, ut in aliqua Eccleſia Chorepiſcopus inſtitueretur. Atqui Chorepiſcopi ordinarie & per ſe ab uno Epiſcopo ordinabantur, ut colligitur ex Antiochena Synodo infra alleganda, & aliunde notum eſt: ergo non erant veri Epiſcopi.

152 *Prob. III.* Secundum veterem Eccleſiæ diſciplinam non debebant Epiſcopi veri ordinari ad pagos & vicos ſeu villulas, ſed conſtitui in civitatibus, ut præter multos alios Canones patet e Concilio Laodiceno an. 320. can. 57. ex verſione Herveti. „ Quod non oportet in vicis & pagis ἐν ταις „ χωμαις και ἐν ταις χωϱαις Epiſcopos conſti„ tui, ſed Periodevtas, hoc eſt circumcur„ ſitatores; eos autem qui prius conſtituti „ fuerint, nihil agere ſine mente Epiſcopi, „ qui eſt in civitate. Similiter autem & „ Presbyteros nihil agere ſine mente Epiſco„ pi. „ Atqui Chorepiſcopi ordinarie in ejusmodi pagis & villulis erant conſtituti, indeque & nomen ſortiti fuerunt. *ergo.*

Prob.

Prob. IV. Patres Concilii Hiſpalenſis 153
an. 619. celebrati carpunt Epiſcopum Cordubenſem, quod Chorepiſcopis poteſtatem fecerit Epiſcopalia munia obeundi, idque canonibus adverſari ajunt, eoquod ſummi Pontificatus apicem non habeant, & nihilo a Presbyteris differant. en ipſa can. 7. verba.
„ Septimo examine relatum eſt nobis, Ve-
„ neratiſſimum quondam Agapium Corduben-
„ ſis urbis Epiſcopum frequenter Chorepi-
„ ſcopos vel Presbyteros deſtinaſſe (qui ta-
„ men juxta Canones unum ſunt) qui ab-
„ ſente Pontifice altaria erigerent, Baſilicas
„ conſecrarent: quod quidem non eſt mirum
„ id præcepiſſe virum Eccleſiaſticis diſcipli-
„ nis ignarum, & ſtatim a ſæculari militia
„ in ſacerdotale miniſterium delegatum.
„ Ergo ne ultra talis a nobis licentia uſurpe-
„ tur, communi ſententia ſtatuendum opor-
„ tuit; ſcientes, quia ſicut Presbytero vel
„ Chorepiſcopo illicita conſecratio eſt Alta-
„ ris, ita & conſtitutio. In divinis enim lit-
„ teris, præcipiente Domino, ſolus Moyſes
„ in tabernaculo Dei erexit Altare, ſolus
„ ipſe unxit; utique quia ſummus Sacerdos Dei
„ erat, ſicut ſcriptum eſt: *Moyſes & Aaron*
„ *in Sacerdotibus ejus.* Ideoque id, quod
„ tantum facere Principibus Sacerdotum juſ-
„ ſum eſt, quorum typum Moyſes & Aaron
„ tenuerunt, Presbyteri, qui filiorum Aaron
„ geſtant figuram, arripere non præſumant.
„ Nam quamvis cum Epiſcopis plurima illis
„ miniſteriorum (myſteriorum) communis

„ ſit

„ ſit diſpenſatio, quædam tamen auctorita-
„ te veteris legis, quædam novellis & Ec-
„ cleſiaſticis regulis ſibi prohibita noverint:
„ ſicut Presbyterorum, & Diaconorum &
„ Virginum conſecratio; ſicut conſtitutio
„ Altaris, benedictio vel unctio: ſiquidem
„ nec licere eis Eccleſiam vel Altaria con-
„ ſecrare, nec per impoſitionem manus
„ fidelibus baptizandis vel converſis ex
„ hæreſi paracletum ſpiritum tradere, nec
„ chrisma conficere, nec chrismate ba-
„ ptizatorum frontem ſignare: ſed nec publi-
„ ce quidem in Miſſa quemquam pœniten-
„ tium reconciliare, nec formatas cuilibet
„ epiſtolas mittere. Hæc enim omnia illi-
„ cita eſſe Presbyteris vel Chorepiſcopis,
„ *quia Pontificatus apicem non habent, quem*
„ *ſolis deberi Epiſcopis* auctoritate canonum
„ præcipitur: ut per hoc & diſcretio gra-
„ duum, & dignitatis faſtigium ſummi Pon-
„ tificis demonſtretur: ſed neque coram E-
„ piſcopo licere Presbyteris in baptiſterium
„ introire, nec præſente antiſtite infantem
„ tingere aut ſignare, nec pœnitentes ſine
„ præcepto Epiſcopi ſui reconciliare, nec
„ eo præſente Sacramentum corporis & ſan-
„ guinis Chriſti conficere, nec eo coram po-
„ ſito populum docere, vel benedicere, vel
„ ſalutare, nec plebem utique exhortari. „
Idem Canon, ſed mutilus, ſub nomine Leo-
nis I. refertur a Gratiano cap. Diſt. 68.

154 *Prob. V.* ex epiſtolis Damasi 4. & 5. Leonis I. 88. & Joannis III. unica, quæ eodem

eodem fere tenore cum Patribus Hiſpalenſibus Epiſcopalia munia Chorepiſcopis interdicunt, qui Pontificatus apicem non habent. Et quamvis facile concedam, Epiſtolas illas ab Iſidoro Mercatore ſub iſtorum Pontificum nomine confictas fuiſſe: quia tamen Decretales iſtæ ſæculo ſaltem VIII. prodierunt, id certe conſequitur, communem ea ætate perſuaſionem fuiſſe, quod Chorepiſcopi caractere Epiſcopali deſtituti, & ſimplices Presbyteri eſſent.

Prob. VI. cum VIII. & IX. ſæculo in 155
Germania & Gallia multæ adverſus Chorepiſcopos orirerentur querelæ, plurimique negarent, ordinatos vel confirmatos ab illis nihil ordinis vel Sacramenti recepiſſe, ut dubitationi finem imponeret, Carolus M. legatos ſuos, præcipue ARNONEM Archiepiſcopum Salisburgenſem Romam ad Leonem III. R. P. direxit, atque accepta inde reſponſa in Concilio Ratisbonæ convocato promulgari fecit atque firmari, ut hæc omnia fuſe legi poſſunt in Capitularibus Regum Francorum, quæ poſt BALUZIUM collegit D. GEORGISCH in corpore juris germanici col. 603. Juvat tamen in gratiam eorum, quibus neque BALUZIUS, neque allegatum corpus juris german. ad manum eſt, quædam excerpere.

Itaque in Capitulari Aquisgranenſi an. 803. cap. 4. de Chorepiſcoporum ſuperſtitione atque damnatione apud Georgiſch col. 649. rem totam ita eloquitur CAROLUS M. „ O-
„ mni-

„ mnibus ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus &
„ noſtris notum eſſe volumus, quia non par-
„ va quæſtio de Chorepiſcoporum ſuperſtitio-
„ ne ad nos non ſemel aut bis aut ter vene-
„ rat, ſed ſæpiſſime noſtris auribus mole-
„ ſtiam intulerat. Ipſa enim quæſtio non
„ ſolum inter Clericos, ſed etiam inter lai-
„ cos crebrius ventilabatur. Dicebant ergo
„ Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi a regu-
„ laribus Epiſcopis ordinati, non eſſe eos
„ Presbyteros vel Diaconos vel Subdiaco-
„ nos, qui a Chorepiſcopis videbantur quaſi
„ ſacrati, nec ſacerdotale eos debere per-
„ agere officium, niſi forent a canonice or-
„ dinatis Epiſcopis conſummati. Sumentes
„ quoque de canonica auctoritate ſanctionem
„ affirmabant, a Chorepiſcopis ordinatos
„ vulneratum potius quam Epiſcopaliter
„ ſanctificatum per illam manus impoſitio-
„ nem habere caput. Ubi autem vulnus in-
„ fixum eſt, medicina eſt adhibenda, qua
„ poſſit recipere ſanitatem. Similiter & lai-
„ ci dicebant, quod talium miniſtrorum vel
„ Sacerdotum, id eſt, qui a Chorepiſcopis
„ erant quaſi ordinati, officia audire nollent,
„ nec eorum infantes majores vel minores
„ aut familiam eorum per manus impoſitio-
„ nem conſignari vel confirmari usquam vel-
„ lent, ne magis vulnus quam benedictio-
„ nem acciperent. - - - Qua propter Ar-
„ nonem Archiepiſcopum (Salisburgenſem)
„ ad Leonem Apoſtolicum (III.) miſimus,
„ ut inter cætera quæ ferebat, etiam eum

„ ex

„ ex hoc interrogaret: ut quicquid ſuper
„ his definiendum eſſet, Apoſtolica aucto-
„ ritate a noſtris Epiſcopis regulariter ſopi-
„ retur. Qui nobis verbis & ſcriptis ab eo
„ renuntians, hæc non eſſe neceſſe iterare
„ vel definire, quia ſæpiſſime a ſuis præde-
„ ceſſoribus & a multis ſanctis Epiſcopis at-
„ que Synodalibus ſanctionibus eos (Chore-
„ piſcopos) eſſe prohibitos atque damnatos;
„ & ideo non eſſe neceſſe ventilare, ſed de-
„ finita tenere. Dixit enim, nullum fore
„ Presbyterum vel Diaconum aut Subdia-
„ conum ab eis ordinatum, nec Eccleſiam
„ ab eis dedicatam, nec virginem conſecra-
„ tam, nec quemquam confirmatum, neque
„ quicquam, quod de Epiſcopali miniſterio
„ præſumpſere, eſſe peractum, ſed quicquid
„ ex his ab eis illicite erat præſumtum, o-
„ mnia a canonice ordinatis Epiſcopis debe-
„ re rite peragere & in meliorem poteſtatem
„ reformare: quia quod non oſtenditur ge-
„ ſtum, ratio non ſinit ut videatur iteratum.
„ Prædictos autem Chorepiſcopos omnes
„ præcepit damnare, & in exilium detrudi.
„ Ita vero omnes, magni regni nobis a Deo
„ commiſſi, Epiſcopi cum eodem Arnone
„ permittente præfato Apoſtolico mitius
„ tractantes, jam dictos villanos Epiſcopos
„ inter Presbyteros ſtatuerunt, ita ut am-
„ plius nihil de Epiſcopali miniſterio præſu-
„ merent, nec ipſi deinceps a quoquam fie-
„ rent, qui gradus ſui periculum vitare vel-
„ let. Decretum namque eſt in Synodo,

„ Reginsburc pro eadem vel aliis causis A-
„ postolica auctoritate præfato prætexto ha-
„ buimus, nihil ex prædictis a quoquam eo-
„ rum agere nec facere volentibus consenti-
„ re, sed quicquid ab his Episcopaliter præ-
„ sumtum est, a Canonice ordinatis Episco-
„ pis peragi debere, nec ullum usquam de
„ Episcopali ministerio a Chorepiscopis ali-
„ quid accepisse, quia nihil in dante erat,
„ quod aliquis horum accipere potuisset:
„ quoniam quod non habuit quis eorum, da-
„ re non potuit. Nam Episcopi non erant,
„ *quia nec ad quandam civitatis Episcopalem*
„ *sedem titulati erant, nec Canonice a tribus*
Episcopis ordinati &c. „ legatur quoque cap. 5. & 6. loc. cit. Ex his autem abunde colligitur, in Gallia & Germania non nisi pro simplicibus Presbyteris habitos fuisse Chorepiscopos, quia neque ad titulum *civitatis*, nec a tribus Episcopis ordinati fuerant: quod apprime concordat cum dictis Prob. II. & III. His similia leguntur passim in Conciliis sæculo IX. in Gallia & Germania celebratis, quæ jam non vacat exscribere.

156 *Prob. II.* pars. Chorepiscoporum nonnullos Episcopali charactere insignitos fuisse, non obscure colligitur e Concilio ANTIOCHENO I. an. 341. can. 10. ex versione Gentiani HERVETI. „ Ii qui sunt in vicis vel pagis,
„ qui dicuntur Chorepiscopi, etiamsi Episco-
„ pi ordinationem manuumve impositionem
„ ac-

„ acceperint, viſum eſt ut ſuum modum
„ ſciant, & ſibi ſubjectas Eccleſias admini-
„ ſtrent, earumque cura & ſolicitudine ge-
„ renda contenti ſint: conſtituant autem
„ Lectores, hypodiaconos & exorciſtas,
„ & eorum promotionem (ſibi) ſufficere
„ exiſtiment, nec Presbyterum nec Diaco-
„ num ordinare audeant absque urbis Epi-
„ ſcopo, cui ſubjicitur ipſe & regio ἡ χώρα.
„ Si quis autem ea quæ definita ſunt, trans-
„ gredi audeat, ipſe quoque deponatur ab
„ eo honore quem habet. Fiat autem Chor-
„ epiſcopus ab Epiſcopo civitatis, cui ſub-
„ jicitur. „ Ex iſto Canone duo ſequuntur: 1. Chorepiſcopos aliquos de conceſſione Epiſcopi, potuiſſe ordinare Presbyterum atque Diaconum, quod ſimplici Presbytero in tota retro antiquitate nunquam delegatum fuit. Ergo prima pars Canonis loquitur de vere ordinatis Epiſcopis, cujus ſpeciei ſunt hodie Epiſcopi titulares, alterius Epiſcopi in Pontificalibus Vicarii, qui & ipſi non niſi ex delegatione ejusdem validas ordinationes licite peragunt. Ultima pars Canonis loqui videtur de Chorepiſcopis ordinariis, qui ab uno Epiſcopo, non a tribus, ut illi priores, conſtitui ſolebant.

Prob. II. Concilium Nicænum I. can. 8. 157
ſtatuit, ut Epiſcopi Novatiani ad Eccleſiam reverſi Chorepiſcoporum locum obtineant, niſi forte Epiſcopus civitatis Epiſcopalem honorem, hoc eſt functionem permittere velit.

lit. Ergo certum eſt, nonnullos Chorepiſcoporum veros fuiſſe Epiſcopos. Verba Canonis ex verſione Gentiani HERVETI hæc ſunt: „ De his, qui ſe Catharos, id eſt, pu-
„ ros quandoque nominant, ad Catholicam
„ autem & Apoſtolicam Eccleſiam accedunt,
„ ſanctæ magnæ Synodo viſum eſt, ut im-
„ poſitis eis manibus (reconciliatoriis) ſic in
„ Clero maneant. - - - Ubi ergo omnes ſi-
„ ve in vicis ſive in urbibus ipſi ſoli inveniun-
„ tur ordinati, qui inveniuntur in Cle-
„ ro, erunt in eodem ordine. Si autem
„ Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopo vel Pres-
„ bytero exiſtente accedunt aliqui, clarum
„ eſt, quod Eccleſiæ quidem Epiſcopus
„ Epiſcopi dignitatem habebit: qui autem
„ apud eos, qui Cathari dicuntur, nomina-
„ tur Epiſcopus, Presbyteri honorem habe-
„ bit: niſi utique Epiſcopo placuerit ipſum
„ nominis honorem impertire. Si autem
„ hoc illi non placeat, vel Chorepiſcopi
„ vel Presbyteri locum excogitabit, ut eſſe
„ omnino in clero videatur, ne in civitate
„ duo ſint Epiſcopi. „

158 *Prob. III.* Idem Concilium in epiſtola Synodica ad Eccleſiam Alexandrinam data, quæ habetur Tom. II. Conciliorum edit. MANSI pag. 910. & apud SOCRATEM Hiſt. Eccleſ. Lib. I. cap. 9. decrevit, ut Meletius Epiſcopus ſchismaticus „ in ſua civitate qui-
„ dem maneat, poteſtatem autem nullam ha-
„ beat vel manus imponendi, vel adminiſtran-
„ di, vel quemquam ad munus aliquod Eccle-
„ ſia-

„ ſiaſticum deligendi, vel in aliena regione aut „ civitate ejus rei gratia comparendi, ſed ut ſo- „ lum dignitatis nomen retineat. „ De ordinatis vero ab eodem ſtatuit, ut illi in ordinibus acceptis miniſtrare valeant, data ipſis ab Epiſcopo facultate. „ Illi vero qui ab eo „ in ſacrum ordinem lecti ſunt, ſimul atque „ ſanctiore ordinatione confirmati fuerint, „ ad communionem poſt hæc admittantur. „ & permittatur illis quidem honoribus frui, „ & ſacris muneribus fungi; ſed tamen o- „ mnibus in ſingulis paræciis (Diœceſibus) „ & Eccleſiis, qui ſunt ab honoratiſſimo vi- „ ro & collega noſtro Alexandro ordinati, „ ſint omnino inferiores. Quin etiam nulla „ poteſtas ſit eis vel deſignandi (eligendi) „ quos velint, vel omnino quicquam facien- „ di absque conſenſu Epiſcoporum Catholi- „ cæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ, qui ſub Ale- „ xandro ſunt ſanctiſſimo collega noſtro. (ergo cum Epiſcoporum conſenſu omnia ordinis ſui munia obire poterant.) „ Quodſi „ quis forte eorum qui Eccleſiæ funguntur „ muneribus, diem ſuum obierit, tunc unus „ ex illis (a Meletio ordinatis) qui nuper in „ Eccleſiam adſciti ſunt, modo idoneus vi- „ deatur, & populus illum eligat Epiſcopus- „ que Alexandriæ & ſuffragetur & conſen- „ tiat, in locum ſuccedat demortui, „ absque nova ordinatione. Ergo ordinati a Meletio Epiſcopi pro vere conſecratis reputabantur.

159 *Prob. IV.* In Germania & Gallia eo fine Chorepiſcopos ſibi conſtituebant Epiſcopi, ut eorum vices in ordinandis Eccleſiæ miniſtris, dedicandis Baſilicis, ſacrandis Altaribus, & Sacramento confirmationis adminiſtrando obirent, quo modo id hodie faciunt Epiſcopi ad Eccleſias in partibus ordinati, & alterius cujusdam in Pontificalibus Vicarii: ergo cum Eccleſia perpetuo crediderit, Presbyterorum ordinationes ab alio quam vero Epiſcopo fieri non poſſe, neque veroſimile ſit hanc traditionem ab ampliſſimorum regnorum Epiſcopis profunde ignoratam fuiſſe, ſequitur, Chorepiſcopos eum in finem vera ordinatione conſecratos fuiſſe.

160 Objic. I. contra P. I. Concilium Ancyranum an. 314. celebratum can. 13. ſtatuit: „ Chorepiſcopis non licere Presbyteros vel „ Diaconos ordinare, ſed neque urbis Pres„ byteris, niſi cum literis ab Epiſcopo per„ miſſum fuerit, in aliena parochia. „ Quamvis ergo Chorepiſcopi ſine Epiſcopi permiſſione illicite ordinarent Presbyteros, cum ejus tamen facultate & licite & valide ordinabant. Ergo erant veri Epiſcopi.

Resp. I. *diſt. conſeq.* Ergo aliqui erant veri Epiſcopi, idque per accidens, *conc.* omnes erant veri Epiſcopi, & vi ordinationis Chorepiſcopalis, *neg.*

Resp. II. Græcus hujus Canonis textus corruptus eſt, & legendum, ut habet codex Canonum Eccleſiæ, quem IV. aut V. ineun-

ineunte ſæculo editum fuiſſe eruditi exiſtimant. Sic autem ille habet: „ Vicariis E„ piſcoporum, quos Græci Chorepiſcopos „ dicunt, non licet Presbyteros vel Diaco„ nos ordinare: ſed nec Presbyteris civita„ tis ſine Epiſcopi præcepto aliquid amplius „ imperare, vel ſine auctoritate litterarum „ ejus in unaquaque provincia aliquid age„ re „ ſubintellige, liceat. Ita enim hunc canonem intellexit Concilium LAODICENUM ſupra n. 152. ita quoque DIONYSIUS exiguus, ita ISIDORUS, aliique.

OBJIC. II. Concilium NEOCÆSAREENSE ſupra n. 150. Chorepiſcopos appellat Epiſcoporum comminiſtros συλλειτουργους. Ergo erant veri Epiſcopi. 161

RESP. *Diſt.* Appellat comminiſtros quoad aliquam ſacri miniſterii partem, & poteſtatem conſecrandi Evchariſtiam, *conc.* quoad omnia, *neg.* in latiore ſenſu etiam Diaconi aliquando appellabantur Epiſcoporum comminiſtri, ut patet e Concilio Antiocheno adverſus Paulum Samoſetenſem ſæc. III. celebrato, cujus epiſtola inſcribitur: *omnibus per univerſum orbem comminiſtris ſuis Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis.*

OBJIC. III. S. ATHANASIUS in apologia ſua Chorepiſcopos a Presbyteris diſerte diſtinguit; loquens enim de illegitima Iſchyræ promotione, qui ab Euſebianorum factione regionis Mareotidis Epiſcopus conſtitutus erat, ait: „ Mareotes regio eſt Alexandrina, 162

„ *in qua nunquam Epifcopus fuit aut Chor-*
„ *epifcopus:* fed univerfæ illius regionis Ec-
„ clefiæ Alexandrino parent Epifcopo. Pres-
„ byteri autem finguli fuos vicos habent
„ maximos, qui decem circiter funt, immo
„ plures numero.

Resp. *Dift.* Diftinguit a Presbyteris Chorepifcopos *aliquos* quondam vere ordinatos, *conc.* omnes, nego. Duo calumniatori fuo Ifchyræ opponit S. Athanafius. I. Quod nequidem verus Presbyter, multo minus Epifcopus effet, qui a Collutho fimplici Presbytero invalide ordinatus fuerat. II. Quod ab Arianis conftitutus fuiffet illius regionis Epifcopus, ad cujus titulum nullus unquam ordinatus fuerat Epifcopus, nec Alexandrinus alium quemdam vacantem Epifcopum fub Chorepifcopi nomine & vicarii munere ad eam regionem direxerat, fed ejus curam, quantum ad Epifcopales functiones fibi immediate refervaverat. Inde ergo non fequitur, omnes ubique terrarum Chorepifcopos veri nominis Epifcopos, & vi fui ordinis a Presbyteris diverfos fuiffe.

163 Objic. IV. S. Basilius M. in epift. ad Chorepifcopos conqueritur: „ Obfervata o-
„ lim in Ecclefia Dei confuetudo Ecclefiæ
„ miniftros omni diligentia probatos admit-
„ tebat - - - atque hoc examinabant qui-
„ dem Presbyteri & Diaconi - - - refere-
„ bant autem ad Chorepifcopos, qui cum
„ - - - Epifcopum admonuiffent, miniftrum
„ dein-

„ deinde in numerum ſacerdotalem coopta-
„ bant. Nunc autem primum quidem nos
„ excludentes, ac ne referre quidem ad nos
„ dignati, omnem in vos auctoritatem trans-
„ tuliſtis. „ Ergo Chorepiſcopi ordinabant miniſtros Eccleſiæ, admonito ſolum Epiſcopo.

Resp. Verbum, *cooptare*, nihil aliud ſignificat, quam aliquem canoni Clericorum inſerere. Forte autem illi Chorepiſcopi minores ordines conferre poterant, aut etiam majores, ſi per accidens veri fuiſſent Epiſcopi.

Objic. V. Chorepiſcopi aliquoties in- 164
terfuerunt Conciliis, & inter Epiſcopos ſubſcripſerunt. Ergo erant veri Epiſcopi.

Resp. *diſt.* Subſcripſerunt vel nomine delegato ſui Epiſcopi, cujus vices gerebant, vel etiam ſuo nomine, ſi vere ordinatus fuit Epiſcopus: aut ſi ſimplex Presbyter fuit, ex privilegio vel conſuetudine, ut hodie Cardinales & Abbates, *conc.* proprio nomine & de jure, *neg.*

Objic. VI. Nicolaus I. R. P. a Rodul- 165
pho Archiepiſcopo Bituricenſi de Presbyterorum & Diaconorum ordinationibus per Chorepiſcopos celebratis interrogatus, an. 864. in hunc modum reſpondit: „ A Chor-
„ epiſcopis aſſeris multas eſſe in regionibus
„ veſtris (per Galliam) ordinationesPresbyte-
„ rorum & Diaconorum effectas, quos qui-
„ dam Epiſcoporum deponunt, quidam vero

„ denuo consecrant. Nos vero dicimus, nec „ innocentes debere percelli, nec ullas debere fieri reordinationes, vel iteratas con„ secrationes. Ad formam enim LXX. Chor„ episcopi facti sunt, quos quis dubitet Epi„ scoporum habuisse officia? Sed quia sacri „ canones vetant, ne omnes omnia sibi ven„ dicent, ac per hoc dignitas Episcoporum „ ad Chorepiscopos suos videatur transferri, „ fiatque vilior honor Episcopi, decernimus „ nihil in hoc præter regulas effici. „

Resp. I. hæc epistola Thomassino, Natali Alexandro, aliisque spuria videtur. Quis enim credat, doctissimum Pontificem prædecessorum suorum Innocentii I. & Leonis III. personatorum Damasi & Leonis I. data de Chorepiscopis responsa, quæ Chorepiscoporum ordinationes ceu irritas & nullas declarabant vel ideo, quod nudi essent Presbyteri ad formam LXX. discipulorum ordinati?

Resp. II. Data epistolæ hujus authentica de illis forte Chorepiscopis loquitur, qui veri erant Episcopi. Nam vix dubium est, quin e LXX. illis discipulis aliqui ad Episcopatus ordinatione legitima fuerint assumti, uti Mathias ad Apostolatum. Illi ergo Chorepiscopi, qui per accidens erant Episcopi, poterant dici habere formam quorum e LXX. qui Episcopi consecrati fuerant.

Resp. III. Si Nicolaus de omnibus Chorepiscopis id asseruit, humani quid passus est, &

& lapsus memoria, quippe ut ipse asserit solito gravius Ecclesiasticis negotiis occupatus, cursim respondere coactus.

§. III.

De Presbyteratu.

Presbyteratum esse verum Ordinem & Sa- 166
cramentum, ex iis colligitur, quæ cap.I. dicta sunt. Ejus quoque materiam esse impositionem manus, ex dictis constat. Cum autem in ordinatione Presbyteri triplex occurrat manus impositio: determinandum superest, quænam ex his materiam ordinis constituat. Unde præmittenda quædam de ritu ordinationis. Itaque apud Latinos Episcopus intra Missarum solennia post Epistolam & Tractum, sed ante Evangelium, utramque manum ordinandis singillatim imponit, absque ullis verbis, & post eum omnes quoque Presbyteri: qui exin manus extensas tenent super omnes ordinandos simul. Interim Episcopus manibus pariter extensis tres fundit orationes ad Deum, quarum postrema, instar præfationis cani solita, in antiquis Ritualibus *consecratio* appellatur. Quæ quidem secunda manus extensio videtur tantum esse continuatio prioris impositionis. Dein Pontifex post datam unicuique stolam & casulam, unctasque manus, singulis ex ordine tradit calicem cum vino & aqua, & patenam cum hostia, dicens: *accipe potestatem offerre sacri-*

ſacrificium Deo &c. Denique poſt expletum ſacrum Epiſcopus ſedens, manusque imponens ſuper ſingulorum capita dicit: *accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata* &c. In Eccleſia Græca Epiſcopus manum imponit ordinando, dein more ſolito acclamat: *Divina gratia - - promovet N. ad Presbyteratum.* Tandem dum manus extenſas tenet, preces interea ad Deum fundit, quibus Spiritum ſanctum advocat ſuper ordinandos.

167 Resolutio I. Sola manus impoſitio, & quidem *ſecunda*, eſt materia eſſentialis Presbyteratus in utraque Eccleſia.

Prima pars conſtat ex dictis. *Altera* probatur. Materia eſſentialis debet habere annexam & concomitantem formam verborum: atqui prima manus impoſitio ſolitarie ſpectata, cum fiat ſilentio, non habet annexam formam verborum: ergo prima non poteſt eſſe materia eſſentialis Sacramenti.

168 Tertia impoſitio fit poſt ordinationem jam peractam, quando ordinati ſupponuntur cum Epiſcopo jam conſecraſſe corpus & ſanguinem Chriſti: & illa nec in uſu eſt apud orientales, nec in uſu erat apud Latinos usque ad ſæculum XI. cum ejus nulla fiat mentio in Conciliis, Sacramentariis, iisque auctoribus, qui de divinis officiis ſcripſerunt. In Pontificali Romano ante illam tertiam impoſitionem jam dicuntur *ordinati.* Igitur ſola ſecunda eſt eſſentialis, cui etiam adjuncta oratio olim dicebatur *conſecratio.*

Objic.

Objic. Si secunda manus impositio seu 169
extensio est materia essentialis, sequitur Presbyteros, qui simul manum extendunt, una cum Episcopo ordinare saltem partialiter. Atqui hoc falsum est. *ergo* &c.

Resp. Nego *maj.* Ut enim aliquis possit dici minister Sacramenti, debet non tantum ponere materiam, sed simul proferre formam: quod non fit a Presbyteris, sed a solo Episcopo consecratore, sicut etiam fit in ordinatione Episcopi.

Resolutio II. Forma Presbyteratus 170
non consistit 1. in his verbis: *accipe potestatem offerre sacrificium* &c. 2. Nec in illis: *accipe Spiritum sanctum:* Sed 3. in orationibus, quæ secundam manuum extensionem comitantur.

Prob. I. pars. Prima verba comitantur 171
traditionem instrumentorum, quæ non est materia essentialis: ergo neque sunt forma essentialis. II. Ecclesiæ orientales nec illa verba, nec his similia proferunt; cum tamen formæ Sacramentorum debeant, saltem quoad substantiam, esse æquales in tota Ecclesia. III. Neque libri Rituales & Concilia verba illa commemorant, ubi Ritum ordinationis accurate describunt. IV. Eadem proferuntur in Sacramentario Gregorii M. in ordinatione Episcopi, qui utique supponitur jam antea Presbyter. *ergo* &c.

Prob. II. pars. Ex S. Augustino col- 172
ligitur, Apostolos, dum ordinarunt, non pro-

protulisse illa verba: *accipe Spiritum sanctum*, nec eorum successores; nam Lib. XV. de Trinit. Cap. XXVI. Christum esse Deum ex eo probat, quod Joan. XX. dixerit: *accipite Spiritum sanctum:* & addit: Apostolos nunquam protulisse illa verba, nec Præpositos Ecclesiæ. verba ejus sunt hæc. „ Quomodo ergo Deus non est, qui dat Spiritum sanctum? imo quantus Deus est, qui dat Deum? Neque enim aliquis discipulorum ejus dedit Spiritum sanctum. Orabant quippe, ut veniret ad eos, quibus manus imponebant: non ipsi eum dabant. Quem morem in suis Præpositis etiam nunc servat Ecclesia. „ Ergo Augustini tempore non proferebantur illa verba, sed forma ordinationis erat reposita in precibus invocatoriis Spiritus sancti.

173 Ex quibus etiam probata manet III. Pars. Scriptura enim & Patres, de ordinatione loquentes, solius impositionis manuum, & precum faciunt mentionem: ut etiam ex constitutionibus Apostolorum, & praxi hodierna Græcorum, ab antiquis tradita constat; maxime, quia oratio secundam manus impositionem comitans dicebatur *consecratio*.

174 Objic. Illa verba sunt forma, quæ exprimunt effectum Sacramenti, seu potestatem collatam: atqui ista: *accipe potestatem offerre sacrificium*, effectum primarium exprimunt, *ergo* &c.

Resp.

RESP. *disting. maj.* Si comitentur materiam essentialem, fuerintque semper & ubique adhibita, *conced.* secus, *neg.* Itaque illa verba cum ritu accidentali traditionis instrumentorum solum explicite exprimunt potestatem jam ante per manus impositionem & orationes concessam, non vero quod per ea tanquam per causam nunc primum conferatur.

§. IV.

De Diaconatu, & cæteris ordinibus.

Proximus Presbyteratui est ordo *Diaconi*, 175
qui proprie Ministrum significat, eoquod hoc ordine tradatur potestas solemni ritu proxime ministrandi Sacerdoti sacris operanti. Controversia est 1. an Diaconatus non solum sit ordo, sed verum Sacramentum? 2. Quæ ejus materia & forma. Quod ad reliquos ordines attinet, eos Sacramenta non esse jam dixi supra, materiam vero consistere in porrectione instrumentorum, & formam verbis concomitantibus, itidem certum est; cum absque manus impositione conferantur: Quoniam autem Subdiacono plura traduntur instrumenta, de his quoque pauca pro complemento dicam.

176 RESOLUTIO I. Diaconatus est verum novæ Legis Sacramentum. Contra DURANDUM & CAJETANUM.

Prob.

Prob. I. Diaconatus habet omnia ad verum Sacramentum requiſita. 1. Signum ſenſibile, nempe impoſitionem manus cum oratione. 2. Inſtitutionem divinam: quæ colligitur ex traditione, Epiſtolis maxime S. Ignatii, Polycarpi, & Clemente Alexandrino, prout legi poteſt in mea Diſſert. I. de Hierarchia Eccleſiaſtica num. 13. ſeq. n. 37. ſeq. 3. Habet annexam promiſſionem & collationem gratiæ. Eum in finem Apoſtoli ſeptemviris electis impoſuerunt manus cum oratione invocatoria Spiritus ſancti. Act. VI. quod etiam colligitur ex forma ordinationis in conſtitut. Apoſtol. & antiquis Sacramentariis.

177 *Prob. II.* Tridentinum Concilium Seſſ. XXIII. Can. 6. definit dari in Eccleſia Hierarchiam divinitus inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris & *Miniſtris:* ergo ſaltem aliquis Miniſtrorum ordo eſt divinæ inſtitutionis. Atqui inter Miniſtros ſupremi ordinis fuerunt ſemper Diaconi: ergo hi ad Hierarchiam divinam pertinent. Diaconos autem inſtitutos fuiſſe non ad miniſterium profanum, ſed ſacrum, demonſtravi citata diſſertatione §. V. toto. Quod inde colligitur; quia ſtatim poſt ſuam electionem ſeptem illi Diaconi ſacras exercuere functiones, ut certum eſt de Stephano pleno Spiritu ſancto, & Philippo ut legi ibidem poteſt.

178 Objic. I. Diaconi ex ſua inſtitutione ſolum ordinantur ad miniſterium profanum menſæ.

mensæ. ut constat Act. VI. ergo non est Sacramentum.

II. Cyprianus Epist. LXV. ad Rogutian. de quodam superbo Diacono ait: „ Meminisse autem Diaconi debent, quoniam Apostolos, id est Episcopos & Presbyteros, Dominus elegit: Diaconos autem post ascensum Domini in cœlos Apostoli sibi constituerunt Episcopatus sui & Ecclesiæ ministros. „ Ergo non sunt a Deo constituti, consequenter nec est Sacramentum.

III. S. Hieronymus Epist. LXXXV. ad Evangelum ut reprimeret fastum Diaconorum, qui se supra Presbyteros elevabant, eos per contemptum appellat *viduarum & mensarum ministros.* *ergo* &c.

Resp. ad I. Arbitrantur non nulli, nomine *mensæ* in illo actorum loco intelligi Christianorum primorum convivia, seu agapas, ubi non solum cibi profani, sed etiam Evcharistia dispensabatur, de quibus loquitur Paulus I. Cor. XI. 20. & Chrysostomus in hanc Epistolam. Hinc Diaconi deputabantur tam ad dispensandam Evcharistiam, saltem quoad S. calicem, quam ad ministerium profanum. Dici autem potest, eos *secundario* ordinatos fuisse ad dispensationem bonorum temporalium & curam viduarum: primario autem ad sacras functiones, ad assistendum proxime sacerdoti: quod colligitur ex Actis Apostolorum; nam statim post eorum ordinationem Diaconi quidam Evangeli-

 zasse,

zaſſe, & baptizaſſe leguntur, uti Stephanus & Philippus. Non eſt autem veroſimile, ſanctos viros in ſacrum miniſterium ſponte ſua involare voluiſſe, niſi ad hoc fuiſſent ordinati, & legitime vocati. vid. Diſſert. I. de Hierarchia n. 36.

Resp. ad II. *diſting.* Apoſtoli conſtituerunt, id eſt elegerunt & ordinarunt, *conced.* *inſtituerunt, neg.* Chriſtus Hierarchiæ Eccleſiæ auctor Diaconatus ordinem inſtituit per ſe: Apoſtoli ad Diaconatum promoverunt ſeptemviros. Hinc diſparitatem urget Cyprianus, quod Apoſtoli fuerunt immediate ordinati a Chriſto, Diaconi autem immediate ab Apoſtolis.

Resp. ad III. *diſting.* Menſarum miniſtros, ab officio *ordinario, conced.* ab officio *totali*, nego. ipſe enim Hieronymus cit. Epiſt. ſcribit: „ Et ut ſciamus traditiones Apoſtolicas ſumptas de veteri teſtamento, „ quod Aaron & filii ejus atque Levitæ in „ templo fuerunt, hoc ſibi Epiſcopi & Presbyteri & Diaconi vindicant in Eccleſia. „ Atqui Levitæ, quibus Diaconi ſuccedunt, erant a Deo inſtituti ad miniſterium ſacrum: ergo & Diaconi ex mente Hieronymi.

179 Objic. adhuc. Concilium Trullanum, can. 16. Diaconos non niſi ad profanum menſæ miniſterium ordinatos fuiſſe declarat. „ Nos, ajunt, quum dicto Apoſtolico Patrum mentem adaptaſſemus, invenimus „ eos fuiſſe locutos non de viris, qui mini-

„ ſtrant

„ ſtrant myſteriis, ſed de miniſterio, quod
„ in uſum menſarum adhibebatur.

Resp. Plane ſingularis illa fuit opinio, quod & Binghamus fatetur, aut tempore iſtius Concilii duplicis forte generis conſtituti erant Diaconi, alii quidem ad miniſterium ſacrum, alii ad curam pauperum velut *œconomi* ordinati. Cæterum Concilium hoc Conſtantinopoli in palatio, quod Trullum dicebant, celebratum tantæ non eſt auctoritatis, & ſtatuti ab eodem canones non aliam in Eccleſia Latina vim obtinent, niſi in quantum probantur recepti.

Resolutio II. Materia Diaconatus eſ- 189
ſentialis nec eſt traditio libri Evangeliorum, nec 2. ſtola, nec 3. dalmatica; ſed 4. ſola manus impoſitio.

Prob. I. pars. Primi Diaconi ab Apoſtolis ordinati fuerunt absque traditione libri Evangeliorum, utpote tunc nondum conſcripti. II. Eccleſia Græca ordinat Diaconos absque hoc ritu, ut teſtatur Martene, viderique poteſt in ritu ordinationis infra ſubjecto. III. In Ritualibus Eccleſiæ Latinæ ante ſæculum IX. ſcriptis nondum legitur iſte ritus; imo in Eccleſiam Ananienſem eum primus invexit Durandus ſæc. XIV. ut teſtatur Morinus & Martene. IV. Quia ut oſtendit Morinus, in multis Eccleſiis Evangelium non legebat Diaconus, ſed alibi Archidiaconus, alibi Presbyteri, alibi

etiam in festis solennibus Episcopi, in Hispania etiam Subdiaconi. ergo &c.

181 *Prob. II.* pars. Nam Diaconis primis non fuit data stola. II. Hic ritus in pluribus ritualibus prætermittitur. III. Græci quidem tradunt stolam, sed non adhibent verba instar formæ. IV. Verba, quæ proferunt Latini, non exprimunt effectum Diaconatus.

182 *Prob. III.* pars. Quia in Ecclesia Latina est recentioris usus: in Græca autem omnino non traditur dalmatica.

183 *Prob. IV.* pars. Impositione manus ordinarunt Apostoli primos Diaconos, atque deinceps Ecclesiæ omnes orientis & occidentis. Et quidem Ecclesia Græca constanter sola manus impositione Diaconatum confert, idque jam ab origine. ut constat ex CONSTITUT. Apost. Lib. VIII. Cap. XVII. & Concilium CARTHAGINENSE IV. Can. III. in ordinatione Diaconi solam manuum impositionem commemorat. Denique DIONYSIUS Areopagita de Ecclesf. Hierarch. Cap. V. „ Diaconus, ait, dexteram manum Pontificis, qui eum consecrat, super caput habet, ab eoque consecratur in precationibus, quibus ministri consecrari solent. „

184 RESOLUTIO III. Forma Diaconatus sunt preces impositionem manus comitantes: non autem illa verba solitarie sumpta: *Accipe Spiritum sanctum ad robur* &c.

Prob.

Prob. I. pars. Apoſtoli impoſitione manus & oratione ordinarunt primos Diaconos, & Eccleſia Græca id hodie quoque conſtanter obſervat. Sed etiam in Eccleſiæ Latinæ antiquis ritualibus de ordinatione Diaco-„ ni nihil niſi orationes commemorantur, inter quas una dicitur *conſecratio* Diaconi, ut teſtatur Martene. Id ipſum colligitur ex Dionysio Areopagita paulo ante citato. Et ex Concilio Carthaginenſi IV. & ritibus ordinationum mox ſubſecuturis.

Prob. II. pars. Græci illa verba non 185
adhibent, & in Latina Eccleſia a paucis ſæculis frequentantur, ut teſtantur Morinus & Martene. Neque aliquam cum oratione, cui inſeruntur, connexionem habent, & poſt illa verba orat Epiſcopus, ut Spiritus ſanctus illabatur in ordinandos, tanquam antea non ſit acceptus. Tandem & effectum Diaconatus diſtincte non exprimunt.

Resolutio IV. Materia Subdiacona- 186
tus eſt calicis vacui & patenæ itidem vacuæ traditio: non vero 2. Urceoli, vel 3. Codex Epiſtolarum, vel 4. amictus. 5. Forma conſiſtit in verbis traditionem calicis &c. comitantibus.

Prob. I. pars. e Concilio Carthaginenſi IV. Can. V. „ Subdiaconus cum ordina-„ tur, quia manus impoſitionem non acci-„ pit, patenam de manu Epiſcopi accipiat „ vacuam, & calicem vacuum: de manu Archi-

„ Archidiaconi Urceolum cum aqua, manili, „ & manutergium. „ II. JOANNES Diaconus Epiſtola ad Senarium ſcribit: „ Ejusmodi hic „ apud nos ordo eſt, ut accepto ſacratiſſimo „ calice, in quo conſuevit Pontifex Dominici „ ci ſanguinis immolare myſterium, Subdia- „ conus jam dicatur. „ III. Antiqui Rituales non nulli ſolam hanc traditionem commemorant, aut tanquam præcipuum ordinationis caput deſcribunt. *ergo.*

187 *Prob. II.* pars. Si Urceoli traditio foret materia, deberet habere annexam formam verborum: atqui nullam profert Archidiaconus porrigens. Sequeretur etiam, Archidiaconum fore miniſtrum ordinarium Subdiaconatus, quod falſum eſt.

188 *Prob. III.* pars. Ritum tradendi librum Epiſtolarum eſſe recentiſſimum, & vix 500. annorum, teſtatur MORINUS & MARTENE, & probant; quia in antiquioribus Ritualibus non comparet. Imo AMALARIUS Lib. de divinis officiis cap. XI. ſcribit: „ Miror, qua „ de re ſumptus uſus in Eccleſia noſtra, ut „ Subdiaconus frequentiſſime legat lectio- „ nem ad Miſſam, cum hoc non reperiatur „ in miniſterio ſibi dato in conſecratione „ commiſſum, neque ex litteris Canonicis, „ neque ex nomine ſuo. „ & MICROLOGUS ſæc. XI. „ Solis Subdiaconis inter inferio- „ res gradus Romana auctoritas concedit, „ ut ſacris veſtibus induti Epiſtolam legant „ ad Miſſam, quod tamen non ex eorum „ con-

„ conſecratione, ſed potius ex Eccleſiaſtica
„ conſenſione meruerunt obtinere.

IV. Pars conſtat, quia eſt uſus recentiſſimus.

Prob. V. pars. Libri Rituales veteres 189
in illis verbis præcipuam vim ordinationis reponunt; quamvis probabile ſit, olim absque omni forma Subdiaconos fuiſſe ordinatos: quod colligunt non nulli ex Epiſtola Joannis Diaconi n. 186. & ex Concilio Toletano VIII. can. IX. „ Relatum eſt no-
„ bis, quosdam Subdiaconos, poſtquam ad
„ ſacrum hujus ordinis pervenerunt gradum,
„ non ſolum carnis immunditia ſordidari - - -
„ ſed etiam, quod dictu nefas eſt, novis uxo-
„ ribus copulari: aſſerentes hoc ideo ſibi li-
„ cere, quia benedictionem a Pontifice ſe
„ neſciunt percepiſſe. Proinde omni excu-
„ ſationum diſciſſo velamine id præcipimus
„ obſervari, ut cum iidem Subdiaconi or-
„ dinantur, cum vaſis miniſterii benedictio
„ eis ab Epiſcopo detur, ſicut in quibusdam
„ Eccleſiis vetuſtas tradit. „ Hæc de Sacramento ordinis: in cujus pertractatione quoniam frequenter ad ritus ordinationis in Eccleſia vetere tam orientali, quam occidentali uſitatos provocavi, geminos ejusmodi cum Græcorum, tum Latinorum ordines pro Lectoris commodo hic ſubjungere placuit.

Ritus Ordinationis

In Ecclesia Orientali Sæculo II. usitatus, e Libro VIII. constitutionum Apostolicarum editionis COTELERII *desumptus.*

CAP. III. *Quod constituere ea, quæ in Ecclesiis peraguntur, summum ac potissimum sit.*

Nunc vero ad præcipuum Ecclesiasticæ dispositionis, oratio nos pertrahit; ut & hanc a nobis discentes constitutionem, vos qui Christi nutu per nos ordinati estis Episcopi, omnia faciatis secundum mandata a nobis tradita; scientes quod qui nos audit, Christum audit, qui vero Christum audit, Deum ejus ac Patrem audit, cui gloria in sæcula. Amen.

CAP. IV. *De Ordinationibus.*

Simul igitur existentes, nos duodecim Domini Apostoli, hasce divinas constitutiones nostras de omni Ecclesiastico ordine injungimus; una præsentibus, tum electionis vase Paulo coapostolo nostro, tum Jacobo Episcopo tum reliquis Presbyteris, ac septem Diaconis. Primus igitur ego Petrus ajo, ordinandum esse Episcopum, ut in superioribus omnes pariter constituimus, inculpatum in

in omnibus, electum a cuncto populo ut præstantissimum. Quo nominato & placente congregatus populus una cum Presbyterio & Episcopis qui præsentes erunt, in die Dominicâ, consentiat. Qui vero inter reliquos præcipuus est, interroget Presbyterium ac plebem, an ipse est, quem in præsidem postulant: & illis annuentibus, iterum roget, an ab omnibus testimonium habeat, quod dignus sit magna hac & illustri præfectura; an quæ ad pietatem in Deum spectant, ab ipso sint recte facta; an jura erga homines servata; an domesticæ res pulchrè dispensatæ; an vitæ instituta sine reprehensione. Cumque universi pariter secundum veritatem, non autem secundum anticipatam opinionem testificati fuerint talem eum esse, quasi ante judicem Deum, ac Christum, præsente scilicet etiam sancto Spiritu & omnibus sanctis ac administratoriis spiritibus, rursus tertio sciscitentur, an vere dignus sit ministerio, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum: atque iis tertio assentientibus, dignum esse, a cunctis petatur signum assensionis, & alacriter dantes, audiantur: silentioque facto unus ex primis Episcopis una cum duobus aliis prope Altare stans reliquis Episcopis ac Presbyteris tacite orantibus atque Diaconis divina Evangelia super caput ejus, qui ordinatur, aperta tenentibus, dicat ad Deum:

CAP. V. *Invocatio in ordinatione Episcoporum.*

Qui es, Here, Domine, Deus, omnipotens, ſolus ingenitus ac Regem non habens, qui ſemper es, & ante ſæcula exiſtis; qui nullo indiges, omnemque cauſam atque ortum ſuperas; ſolus verus, ſolus ſapiens; qui ſolus altiſſimus es, natura inviſibilis; cujus cognitio, expers principii; ſolus bonus, ac incomparabilis; qui omnia noſti, antequam fiant; occultorum cognitor, inacceſſus; Domino carens, Deus & pater unigeniti filii tui, Dei ac ſervatoris noſtri; conditor univerſorum per ipſum; proviſor, tutor, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis; qui in altis habitas & humilia reſpicis. Tu qui dediſti leges ac regulas Eccleſiæ, per Chriſti tui adventum in carne, ſub teſte Paracleto, per Apoſtolos tuos, ac nos gratia tua adſtantes Epiſcopos, qui ab initio præſtituiſti ſacerdotes in populi tui curationem Abelem in primis, Sethum, Enoſum, Henochum, Noam, Melchiſedechum & Jobum, qui conſtituiſti Abrahamum, & cæteros Patriarchas, cum fidelibus tuis famulis Moyſe, Aarone, Eleazaro. Phinee, qui ex ipſis deſumpſiſti principes, & ſacerdotes in tabernaculo teſtimonii; qui Samuelem elegiſti in ſacerdotem ac Prophetam, qui ſanctuarium tuum ſine Miniſtris non reliquiſti, qui benevolentia proſecutus es eos, in quibus voluiſti celebrari. Ipſe

nunc

nunc quoque, interceſſu Chriſti tui, per nos infunde virtutem principalis tui ſpiritus, qui ſubminiſtratur per dilectum filium tuum Jeſum Chriſtum, quemque voluntate tua donavit ſanctis Apoſtolis ad te æternum Deum pertinentibus. Da in nomine tuo, Deus cognitor cordis, huic ſervo tuo, electo a te in Epiſcopum paſcere ſanctum tuum gregem & Pontificem tuum agere inculpate miniſtrantem die ac nocte, & placando faciem tuam, congregare numerum eorum, qui ſalvi fiunt, ac offerre tibi dona ſanctæ tuæ Eccleſiæ. Da illi, Domine omnipotens, per Chriſtum tuum participationem ſancti Spiritus, ut habeat poteſtatem remittendi peccata ſecundum mandatum tuum, dandi Clericos ſeu ordines Eccleſiaſticos juxta præceptum tuum, & ſolvendi omne vinculum ſecundum poteſtatem, quam tribuiſti Apoſtolis: utque tibi placeat in manſuetudine, & mundo corde, conſtanter, inculpate, ac irreprehenſibiliter offerendo tibi purum & incruentum ſacrificium, quod per Chriſtum conſtituiſti myſterium novi teſtamenti, in odorem ſuavitatis, per ſanctum filium tuum Jeſum Chriſtum, Deum ac ſalvatorem noſtrum; per quem tibi gloria, honor, & cultus, in ſancto Spiritu, nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Et poſtquam ita oraverit; reliqui ſacerdotes reſpondeant; Amen; atque cum eis omnis populus: & poſt precationem unus ex Epiſcopis, hoſtiam offerat in manus ordinati. Et manè in loco ac throno ad ipſum

per-

pertinente a cæteris Episcopis collocetur, cunctis eum osculantibus, osculo in Domino. Postque lectionem legis & Prophetarum ac Epistolarum nostrarum, & actorum atque Evangeliorum. ordinatus Ecclesiam salutet dicens; gratia Domini nostri Jesu Christi, charitas Dei ac Patris, & communicatio Spiritus sancti, cum omnibus vobis: ac universi respondeant: & cum spiritu tuo. Et post salutationem, populum alloquatur verbis exhortationis. Cumque doctrinæ sermonem finierit; ajo ego Andreas frater Petri; ut universis consurgentibus, Diaconus in excelsum locum ascendens, proclamet, ne quis audientium, ne quis infidelium. Ac silentio facto, dicat:

CAP. VI. *Divina liturgia, in qua oratio pro catechumenis.*

Orate Catechumeni &c.

CAP. VII. *Oratio pro energumenis.*

CAP. VIII. *Oratio pro iis, qui jamjam baptizandi sunt.*

CAP. IX. *Impositio manuum & oratio pro pœnitentibus.*

CAP. X. *Oratio pro fidelibus.*

CAP. XI. *Invocatio pro fidelibus.*

CAP. XII. *Constitutio Jacobi, fratris Joannis Zebedæi.*

Porro

Porro ego Jacobus, frater Joannis Zebedæi ajo; ut ſtatim Diaconus dicat; ne quis ex catechumenis. Ne quis ex audientibus. Ne quis ex infidelibus. Ne quis ex heterodoxis. Qui priorem precationem feciſtis, exite. Matres aſſumite pueros. Ne quis contra aliquem. Ne quis in hypocriſi. Erecti ad Dominum cum timore ac tremore ſtemus ad offerendum. Quibus peractis; Diaconi dona ad Altare admoveant Epiſcopo, ac Presbyteri a dextris illius & a ſiniſtris ſtent, ut diſcipuli magiſtro aſſiſtentes. Duo autem Diaconi ex utraque parte Altaris teneant flabellum ex tenuibus membranis, aut ex pennis pavonis, aut ex linteo, & ſenſim abigant parva animalia volitantia, ne in calices incidant. Orans igitur apud ſe Pontifex, una cum ſacerdotibus, & ſplendidam veſtem indutus, ſtansque ad Altare, tropæum crucis in fronte manu faciat coram omnibus, ac dicat; gratia omnipotentis Dei, & charitas Domini noſtri Jeſu Chriſti & communicatio ſancti Spiritus; ſit cum omnibus vobis. Atque omnes una voce reſpondeant, & cum ſpiritu tuo. Tum Pontifex; ſurſum mentem: & omnes; habemus ad Dominum. Et Pontifex, gratias agamus Domino: & cuncti, dignum & juſtum eſt. Et Pontifex dicat:

CAP. XIII. *Oratio pro fidelibus poſt oblationem.*

CAP. XIV.

CAP. XIV. *Oratio post communionem.*

CAP. XV. *Invocatio post communionem.*

CAP. XVI. *De ordinatione Presbyterorum constitutio Joannis a Domino dilecti.*

Porro de ordinatione Presbyterorum, ego dilectus a Domino, constituo vobis Episcopis. Cum Presbyterum ordinas, Episcope, manum super caput ejus ipse impone, adstante tibi Presbyterio, nec non Diaconis, & orans, dic: Domine omnipotens, Deus noster, qui per Christum universa condidisti, & per ipsum cunctis provides convenienter. In quo enim potestas est, efficiendi varia, in eo & inest potestas providendi variis modis. Nam idcirco, Deus, provides; immortalibus quidem, sola conservatione, mortalibus vero, successione; animæ, cura legum; corpori, expletione indigentiæ. Ipse igitur & nunc respice in sanctam tuam Ecclesiam; auge illam, ac eos qui in ea præsunt. Multiplica, virtutemque da, ut ii verbo ac opere ad ædificationem populi tui laborent. Ipse nunc quoque respice super hunc famulum tuum, qui suffragio ac judicio totius Cleri in Presbyterium cooptatus est; & imple illum spiritu gratiæ & consilii, ut adjuvet ac gubernet populum tuum in corde mundo: quemadmodum re-

spexi-

ſpexiſti in populum electum tuum & ſicut Moyſi præcepiſti eligere ſeniores, quos impleviſti ſpiritu. Et nunc, Domine, præſta, ſervans in nobis ſpiritum gratiæ tuæ non deficientem: ut repletus operationibus vim ſanandi habentibus, ac ſermone ad docendum apto, erudiat cum manſuetudine populum tuum; ſerviat tibi ſincere, mente pura & anima volente, atque ſacra, quæ pro populo celebrantur, inculpate perficiat; per Chriſtum tuum, cum quo tibi gloria, honor, ac veneratio, & ſancto ſpiritui, in ſæcula. Amen.

CAP. XVII. *De ordinatione Diaconorum conſtitutio Philippi.*

De ordinatione vero Diaconorum, ego Philippus conſtituo. Diaconum efficies Epiſcope, imponens ei manus, adſtante tibi cuncto Presbyterio cum Diaconis; & orans, dices:

CAP. XVIII. *Invocatio ordinationis Diaconi.*

Deus omnipotens; verax & neque fallens, neque falſus; dives erga omnes te in veritate invocantes; terribilis in conſiliis; ſapiens cogitatione: fortis, & magnus exaudi orationem noſtram Domine, & auribus percipe deprecationem noſtram & oſtende faciem tuam ſuper ſervum tuum hunc electum

ctum tibi in Diaconatus Ministerium; & imple eum spiritu sancto, & virtute, sicut implevisti Stephanum Martyrem, ac passionum Christi tui imitatorem; & concede ei, ut cum sibi traditum ministerium, probe, constanter, innocue, ac inculpabiliter administraverit, majore gradu dignus habeatur; mediatore unigenito filio tuo, cum quo tibi gloria, honor ac veneratio, & sancto spiritui, in sæcula. Amen.

CAP. XIX. *De Diaconissa constitutio Bartholomæi.*

De Diaconissa vero, Bartholomæus constituo. Episcope, impones ei manus, adstante Presbyterio una cum Diaconis & Diaconissis, & dices:

CAP. XX. *Invocatio in ordinatione Diaconissæ.*

Deus æterne, Pater Domini nostri Jesu Christe, creator viri ac mulieris, qui spiritu implevisti Mariam, Deboram, Annam, & Holdam, qui non dedignatus es, ex muliere nasci unigenitum filium tuum, qui in tabernaculo testimonii & in templo fœminas custodes sanctarum Januarum tuarum constituisti, ipse nunc quoque respice in famulam hanc tuam, electam ad ministerium, & da ei Spiritum sanctum, & munda eam ab omni inquinamento carnis, & spiritus, ut

ut opus ſibi commiſſum perficiat condigne, in gloriam tuam, & laudem Chriſti tui, cum quo tibi gloria atque adoratio, & ſancto ſpiritui, in ſæcula. Amen.

CAP. XXI. *De Subdiaconis conſtitutio Thomæ.*

De Subdiaconis autem, ego Thomas vobis Epiſcopis conſtituo. Quando Subdiaconum ordinas, Epiſcope, impones ſuper eum manus & dices: Domine Deus, conditor cœli, & terræ, omniumque quæ in eis continentur, qui in tabernaculo teſtimonii æditicos deſignaſti, cuſtodes ſanctorum vaſorum tuorum: ipſe nunc etiam aſpice ſuper hunc famulum tuum, qui Subdiaconus creatus eſt; & da illi ſpiritum, ut vaſa miniſterio tuo dicata attrectet pro dignitate, ſemperque voluntatem tuam faciat, per Chriſtum tuum, cum quo tibi gloria, honor ac veneratio, & ſancto ſpiritu, in ſæcula. Amen.

CAP. XXII. *De Lectoribus conſtitutio Matthæi.*

De Lectoribus vero, ego Matthæus, qui & levis, olim publicanus, conſtituo. Lectorem crea, imponens ei manum & Deum orans, dicito: Deus æterne, multus in miſericordia, & miſerationibus, qui mundi ſtructuram per ea quæ facta ſunt patefeciſti, quique numerum electorum tuorum con-

ſervas: ipſe & nunc reſpice ſuper famulum tuum, cui committitur, ut ſanctas tuas ſcripturas legat populo tuo, & da ei ſpiritum ſanctum, ſpiritum Propheticum qui Esdram famulum tuum inſtruxiſti, ad legendas populo tuo leges tuas: nunc quoque a nobis rogatus, inſtrue famulum tuum, & da ei, ut opus traditum perficiendo ſine reprehenſione, dignus majore gradu declaretur; per Chriſtum, cum quo tibi gloria, & cultus, ac ſpiritui ſancto, in ſæcula. Amen.

CAP. XXIII. *Jacobi Alphæi conſtitutio de confeſſoribus.*

Ego vero Jacobus Alphæi conſtituo de confeſſoribus. Confeſſor non fit ordinatione: res enim eſt voluntatis ac tolerantiæ: magno autem honore dignus eſt, ut qui coram gentibus & regibus confeſſus ſit nomen Dei & Chriſti ejus. Quod ſi opus eo fuerit, in Epiſcopum, aut Presbyterum, aut Diaconum, ordinatur. Si vero aliquis confeſſor, non ordinatus, aliquam hujusmodi dignitatem ſibi prætextu confeſſionis vendicaverit, & arripuerit; is deponatur, & ejiciatur. Non enim eſt confeſſor; quando quidem negavit Chriſti conſtitutionem: ac eſt infideli deterior.

CAP. XXIV. *Ejusdem de Virginibus.*

Ipſe ego conſtituo de Virginibus. Non ordinatur virgo. Præceptum enim Domini

ni non habemus. Si quidem voluntatis eſt, hæc certaminis gloria; non ad criminandum matrimonium, ſed ad vacandum pietati.

CAP. XXV. *Lebbæi cognomento thaddæi conſtitutio de viduis.*

Et ego Lebbæus, cognominatus thaddæus, hæc de viduis conſtituo. Vidua non ordinatur: ſed ſi multo ante amiſit virum, & caſte ac inculpabiliter vixit, ac domeſticorum optime curam geſſit, ut Juditha & Anna, ſanctiſſimæ fœminæ; cooptetur in gradum vidualem. Quod ſi nuper amiſit conjugem; ne illi credatur, ſed tempore adoleſcentia dijudicetur. Perturbationes enim interdum cum hominibus conſeneſcunt, niſi potiore freno coerceamur.

CAP. XXVI. *Idem de Exorciſta.*

Ipſe egomet, de exorciſta conſtituo. Exorciſta non ordinatur. Hæc enim certaminis laus pendet a libera & bona voluntate, & a gratia Dei per Chriſtum, adventu ſpiritus ſancti. Qui enim accepit charisma, ſeu donum ſanationum, per revelationem a Deo declaratur, cunctisque manifeſta eſt gratia, quæ eſt in ipſo. Si autem opus eo fuerit, in Epiſcopum vel Presbyterum, vel Diaconum, ordinatur.

CAP. XXVII. *Simon Cananita de Episcopo, a quot debeat ordinari.*

Et vero ego Simon Cananæus constituo, a quot ordinari Episcopus debeat. Episcopus a tribus vel duobus Episcopis ordinetur. Si quis autem ordinatus fuerit ab uno Episcopo, deponatur, & ipse, & is qui ordinavit eum. Quod si necessitas incidens coegerit, ab uno ordinari, eo quod propter persecutionem, aut aliam similem causam plures interesse non possint, afferat auctoritatem mandati plurium Episcoporum.

Sacrarum

Ordinationum Ritus Græcus ex antiquissimo Nongentorum annorum Codice a MORINO de SS. ordinationibus Parte II. pag. 52. edit Antverp. descriptus.

Ordinatio Episcopi.

Post trisagion, cum Psaltæ de Ambone descenderint, stat Archiepiscopus in crepidine ante sanctam Mensam, ipsique charta datur, in qua scriptum est:

Divina gratia, quæ semper infirma curat, & deficientia complet, promovet hunc N.

Deo

Deo amabilem Presbyterum in Epiſcopum. Precemur igitur, ut ſuper ipſum veniat Spiritus ſancti gratia. Hanc chartam, ſive decretum, omnibus audientibus legit, manum tenens ſuper verticem capitis illius, qui ordinatur. Poſtquam autem lectum eſt illud, divina gratia, ter dicit populus Kyrie eleiſon: Et replicans Archiepiſcopus Evangelium imponit illud ſuper caput & collum ipſius adſtantibus aliis Epiſcopis & tangentibus ipſum ſanctum Evangelium. Archiepiſcopus autem tres cruces ſuper caput ipſius ſignat, imponensque illi manum ſic precatur:

Here Domine Deus noſter, qui per eximium & omnibus modis celebrandum Apoſtolum tuum Paulum conſtituiſti nobis in ſancto Altari tuo graduum & dignitatum ordinem; primum Apoſtolos, deinde Prophetas; tertio Doctores ad inſerviendum & miniſtrandum venerandis & immaculatis Myſteriis tuis: ipſe omnium Domine, confirma & corrobora hunc electum, ut per manum mei peccatoris, & adſiſtentium Miniſtrorum & Coepiſcoporum, ſanctique ſpiritus adventu: virtute & gratia ſubeat Evangelicum jugum & dignitatem Epiſcopalem, ſicut confirmaſti & corroboraſti ſanctos Prophetas tuos; ſicut unxiſti Reges, ſicut ſanctificaſti principes ſacordotum, ipſiusque Hierarchicam dignitatem irreprehenſibilem effice & conſerva, eumque omni morum gravitate & ſanctimonia adornans ſanctifica, ut dignus

 ſit,

ſit, qui intercedat apud te, & poſtulet ea, quæ ad ſalutem populi ſpectant, & obedientiam ſibi exhibendam: quia ſanctificatum eſt nomen tuum & glorificatum Regnum tuum &c.

Dicto Amen, precem Diaconicam recitat præſentium Epiſcoporum unus hoc modo:

In pace Dominum deprecemur. Pro ſuperna pace & ſalute animarum noſtrarum Dominum deprecemur.

Pro pace totius mundi & bono ſtabilique ſtatu ſanctarum Eccleſiarum, & omnium unione, Dominum deprecemur.

Pro Archiepiſcopo noſtro N. ipſius ſacerdotio, auxilio, perſeverantia, pace, & ſalute, & operibus manuum ejus, Dominum deprecemur.

Pro eo, qui nunc deſignatur & promovetur ad Epiſcopatum, & ſalute ipſius, Dominum deprecemur.

Ut benignus & hominum amans Deus ipſi largiatur Epiſcopatum ab omni ſorde emaculatum, & irreprehenſibilem, deprecemur.

Pro religioſiſſimo & a Deo cuſtodito Imperatore noſtro, pro hac urbe, ut nos liberemur. Auxiliare, ſerva, miſerere, intercedente ſanctiſſima, & immaculata Domina noſtra Dei genitrice.

Dum autem profertur hæc oratio ab Epiſcopo, habet ſimiliter Archiepiſcopus ma-

manum ſuper caput illius qui ordinatur ſic orans:

Domine Deus noſter, qui propterea quod non poteſt humana natura divinitatis ferre præſentiam, conſtituiſti prudenti œconomia tua Doctores affectibus, & animi perturbationibus nobis ſimiles, qui throni tui ſedem occuparent, qui pro univerſo populo tuo ſacrificia & oblationes offerrent: tu Domine hunc declaratum œconomum gratiæ Epiſcopalis effice imitatorem tui, veri paſtoris, ut ponat animam ſuam pro ovibus ſuis, ut ſit cæcorum dux, lumen eorum qui in tenebris, inſtitutor inſipientium, luminare mundi, & præparatis recteque inſtitutis animabus ſibi creditis, quamdiu luce terrena fruuntur, non erubeſcat. ſed confidenter adſtet tribunali tuo, magnamque illam mercedem recipiat, quam iis præparaſti, qui pro prædicatione Evangelii tui depugnarunt. *Alta voce*, tuum eſt enim miſereri & ſalvare &c.

Amen pronuntiato, tollit Evangelium Patriarcha, & deponit illud in ſacra menſa. Tunc imponit pallium ordinato eumque ipſe oſculatur, & omnes Epiſcopi, & cum eo aſcendit Archiepiſcopus in communem thronum, & quæ de liturgia ſuperſunt, perficiuntur.

Ordinatio Presbyteri.

Poſtquam allata ſunt ſancta dona, & in ſacra menſa repoſita ſunt, & completus

est S. Hymnus mysticus cherubicus; charta consueta traditur Archiepiscopo, in qua scriptum est, divina gratia &c. Eaque lecta, ita ut omnes audiant, qui ordinatus est adducitur, eoque genu flectente, tria crucis signa facit super caput ejus, habensque manum ei impositam hæc precatur:

Deus qui es principii & finis expers, qui omni creatura longe es antiquior, quique denominatione Presbyteri eos honorasti, qui digni judicati sunt in eo gradu sancte administrare verbum veritatis tuæ. Ipse omnium Domine complaceat tibi hunc, quem a me propter politiam irreprehensibilem, modumque agendi inculpatum, & fidem constantem promoveri probasti, magnam illam gratiam sancti Spiritus tui suscipere. Perfectum redde servum tuum, ut tibi in omnibus placeat, & pro data sibi a providente virtute tua magno illo sacerdotali honore digne se se gerat & converssetur: quia tua est potentia, tuum est regnum & virtus &c.

Tum facit Presbyterorum unus Diaconi precem in hunc modum, In pace Dominum deprecemur: pro superna pace ac salute. Pro pace universi mundi. Pro Archiepiscopo nostro N. ipsius sacerdotio, auxilio, perseverantia, pace ac salute, & operibus manuum ejus, Dominum deprecemur.

Pro eo qui nunc promovetur Presbytero, & salute ipsius Dominum deprecemur.

Ut

Ut Clemens & hominum amans Deus immaculatum & irreprehenſibile largiatur illi ſacerdotium, deprecemur.

Pro piiſſimo & a Deo cuſtodito Imperatore noſtro &c. & cum a Presbytero hæc habetur oratio, Archiepiſcopus ſimiliter manum tenens ſuper caput illius, qui ordinatur; ſic precatur:

Deus qui potens es in virtute, cujus prudentiam ſcrutari nemo poteſt, qui ſupra omnes hominum filios admirabilis es in conſiliis, ipſe Domine, & hunc quem Presbyterii gradum ſubire & adipiſci voluiſti, reple dono ſancti tui ſpiritus, ut dignus ſit ſine crimine & querela aſſiſtere Altari tuo, prædicare Evangelium ſalutis tuæ, ſancte adminiſtrare verbum veritatis tuæ, offerre tibi dona, & ſacrificia ſpiritualia, renovare populum tuum per lavacrum regenerationis, ut ipſe occurrens in ſecundo adventu magni Dei & ſalvatoris noſtri Jeſu Chriſti unigeniti filii tui, adminiſtrationis proprii gradus & officii bene geſti ſecundum multitudinem bonitatis tuæ mercedem recipiat. *Elata voce:* quia benedictum eſt & glorificatum magnum & maxime honorabile nomen tuum &c.

Amen dicto orarii ſive ſtolæ partem, quæ poſterius eſt, in partem anteriorem deducit ipſumque phelonio induit, & oſculo ei dato cum cæteris Presbyteris ſiſtit. Tunc ait Diaconus: perficiamus preces noſtras Domino. Poſtquam autem levatum eſt velum a

 ſan-

ſanctis donis, & populus dixerit, dignum & juſtum eſt, tunc tradit Archiepiſcopus Presbytero ordinato in manus panem unum e diſco, tenentemque manibus panem ſibi traditum & imponentem caput ſupra ipſum, inclinat ſupra ſacram menſam, ſicque manet, donec dicatur, ſancta ſanctis. Tunc ordinatus reſtituit Archiepiſcopo panem, omniumque Presbyterorum primus communicat, & ab ordinatore ſancti ſanguinis fit particeps.

Ordinatio Diaconi.

Poſtquam facta eſt ſancta oblatio, & portæ apertæ ſunt, antequam dicat Diaconus, omnium ſanctorum, adducitur Archiepiſcopo qui ordinandus eſt Diaconus, & cum dictum eſt, divina gratia, genu flectit qui ordinatur; Archiepiſcopus autem tribus factis ſuper caput ejus crucis ſignis, manuque ipſi impoſita, ſic precatur:

Domine Deus noſter qui providentia tua ſubminiſtrationem & abundantiam ſancti tui ſpiritus in eos miſiſti, qui ab inſcrutabili virtute tua conſtituti ſunt Miniſtri ut inſerviant immaculatis tuis Myſteriis: ipſe Domine hunc quem tibi placuit a me promoveri ad Diaconi munus, in omni morum gravitate & ſeveritate conſerva, ut myſterium fidei in pura conſcientia detineat. Donaque illi gratiam, quam Stephano protomartyri tuo donaſti. Et quem primum vocaſti ad opus mini-

miniſterii tui, dignum quoque illum redde pro tuo beneplacito, qui adminiſtret datum ſibi a benignitate tua gradum: qui enim bene miniſtrant, gradum ſibi ipſis bonum acquirunt. Perfectum quoque ſervum tuum effice, quia tuum eſt Regnum & Virtus.

Facitque precem Diaconorum unus. In pace Dominum deprecemur, pro pace ſuperna & ſalute animarum noſtrarum Dominum deprecemur. Pro pace univerſi mundi. Pro Archiepiſcopo noſtro N. ipſius ſacerdotio, auxilio, perſeverantia, pace & ſalute ipſius & operibus manuum ejus, Dominum deprecemur. Pro eo qui nunc promovetur Diacono & ſalute ipſius, Dominum deprecemur. Ut benignus Dominus & hominum amans illi donet Diaconatum ſine macula, & inculpate exercere, Dominum deprecemur. Pro piiſſimo Imperatore noſtro &c.

Dum a Diacono fit hæc oratio, Archiepiſcopus habens ſimiliter manum ſuper caput illius qui ordinatur, ſic precatur:

Deus ſervator noſter, qui incorrupta voce Apoſtolis tuis prædixiſti, & primum eorum fore prædicaſti eum, qui adimpleverit Diaconi Miniſterium, ſicut ſcriptum eſt in ſancto Evangelio tuo, quicunque voluerit inter vos eſſe primus, ſit veſter Miniſter. Tu omnium Domine hunc quoque ſervum tuum quem dignum effeciſti, qui Diaconi miniſterium ſubiret, reple per adventum vivifici tui ſpiritus omni fide & charitate, & virtute & ſan-

ſanctificatione. Non enim in impoſitione manuum mearum, ſed in viſitatione divitis miſericordiæ tuæ iis qui te digni ſunt, gratia conceditur, ut omni peccato purgatus in die tremenda judicii tui ſine culpa tibi præſentetur, & mercedem tuæ promiſſionis, quæ fallere non poteſt, recipiat. Tu enim es Deus noſter, Deus miſericordiæ & ſalutis &c.

Amen pronuntiato tollit phenolion illius, qui ordinatur, & illi orarium imponit, datoque illi oſculo tradit ei ſanctum flabellum, ſiſtitque ventilantem ſancta dona, quum in divina menſa exponuntur. Tunc qui in ambone eſt Diaconus dicit, omnium ſanctorum memoriam agentes &c. cum autem ordinatus participaverit ſancto corpori, & pretioſo ſanguini, tradit ei Archiepiſcopus ſanctum calicem, quo accepto participes facit ſacri ſanguinis ad eum accedentes. Hæc equidem cum miſſa integra peragitur. Cum autem liceat ordinationem & Diaconi & Diaconiſſæ peragere & in perfecta oblatione, & diebus, quibus præſanctificatorum ſolemnitas celebratur, cum in ſolemnitate præſanctificatorum hæc ordinatio celebratur, ingreditur Epiſcopus, & ſtat coram ſacra menſa, & adſtante, qui ordinandus eſt, Diaconus alta voce eloquitur, divina gratia &c. Deinde eo genu flectere juſſo reliqua ſecundum ordinem jam relatum ſuper eum peraguntur usque ad officii abſolutionem.

Oratio

Oratio in ordinatione Diaconissæ.

Postquam facta est sancta oblatio, & apertæ sunt portæ, antequam dicat Diaconus omnium sanctorum, ordinanda ad Episcopum ducitur, & alta voce pronuntians istud, divina gratia, ordinandæ caput inclinanti manum imponit, factisque tribus crucis signis sic precatur:

Deus sancte & omnipotens, qui per Nativitatem filii tui unigeniti & Dei nostri ex virgine secundum carnem sanctificasti sexum muliebrem, & largitus es non solum viris sed etiam mulieribus gratiam, & adventum spiritus sancti, ipse nunc Domine respice super hanc ancillam tuam, eamque advoca ad opus ministerii tui, & immitte in eam divitem & abundantem donationem sancti tui spiritus: conserva illam in orthodoxa fide, in conservatione irreprehensibili, ministerium suum juxta id, quod tibi placitum est, semper exequentem: quia te decet omnis gloria & honor. Dicto Amen Diaconorum unus hanc facit orationem:

In pace Dominum deprecemur. Pro superna pace. Pro pace universi mundi. Pro Archiepiscopo nostro N. sacerdotio ejus, auxilio, perseverantia, pace, & salute, & operibus manuum ejus. Pro hac ista, quæ nunc promovetur Diaconissa, & ejus salute, ut clemens & hominum amans Deus noster puram & inculpatam illi largiatur Diaconiam,

Domi-

Dominum deprecemur. Pro piiſſimo & a Deo cuſtodito Imperatore noſtro.

Dum hæc a Diacono fit oratio, Archiepiſcopus ſimiliter habens manum ſuper caput ordinandæ ita precatur:

Here Domine, qui non repellis mulieres conſecrantes ſe ipſas, & volentes ut decet, miniſtrare ſanctis domibus tuis, ſed eas in ordine miniſtrorum recipis, largire gratiam ſancti tui ſpiritus, & huic ancillæ tuæ, quæ vult ſe ipſam tibi conſecrare, miniſteriique Diaconici gratiam adimplere, ut largitus es phæbæ miniſterii tui gratiam quam vocaſti ad opus hujus adminiſtrationis. Da illi Deus ſine culpa perſeverare in ſanctis templis tuis, caute curare propriam converſationem, moderationem præſertim & temperantiam. Effice præterea ancillam tuam perfectam, ut ipſa tribunali Chriſti tui adſiſtens dignum optimæ converſationis fructum reportet, miſericordia & humilitate unigeniti filii tui.

Dicto Amen circumponit collo ipſius orarium ſive ſtolam Diaconicam ſubtus maphorium ipſius, geſtans anterius duas ſtolæ extremitates. Tunc qui ſtat in ambone dicit, omnium ſanctorum memoriam agentes & reliqua. Poſtquam autem particeps facta eſt ſancti corporis, & pretioſi ſanguinis, tradit ei Archiepiſcopus ſanctum calicem, quem accipiens in ſancta menſa deponit.

Oratio

Oratio in ordinatione Subdiaconi.

Ingrediente Epiſcopo in Diaconicum, & eo ante ſacram menſam ſtante, adducitur ad eum qui ordinandus eſt, impoſitaque ſuper caput ejus manu, ſigno crucis eum ſignat, & ita precatur:

Domine Deus noſter, qui per unum ſanctum ſpiritum unicuique eorum quos elegiſti charismata tua diviſiſti, qui actiones diverſas Eccleſiæ tuæ conceſſiſti, gradus adminiſtrationis differentes in ea conſtituens ad miniſterium ſanctorum tuorum & immaculatorum myſteriorum: cum ineffabili præſcientia tua ſanciveris hunc famulum tuum dignum eſſe, qui inſerviat Eccleſiæ tuæ ſanctæ: ipſe, Domine, conſerva eum ſine querela, & reprehenſione, & inde illi amorem honeſtatis & decoris domus tuæ, ut adſtet portis templi ſancti tui, accendat luminaria tabernaculi gloriæ tuæ. Planta illum in Eccleſia ſancta tua, ſicut olivam frugiferam, fructum juſtitiæ ferentem: & redde ſervum tuum perfectum, ut compenſatione eorum, qui tibi placuerunt, fruatur cum præſentiæ tuæ tempus advenerit. Quia tuum eſt Regnum &c.

Dicto Amen, qui factus eſt Subdiaconus, ter dicit, quicunque fideles, datque lavare Epiſcopo, qui ipſum ordinavit, & ſic ab eo fit particeps vivificæ communionis.

Oratio

Oratio in promotione Lectoris & Cantoris.

Postquam tonſus eſt is, qui in lectorem & cantorem promovendus eſt, adducitur ad Epiſcopum ordinatorem, qui impoſita ſuper ipſius caput manu, factoque ſuper ipſum crucis ſigno ſic precatur:

Domine Deus omnipotens elige ſervum tuum hunc, eumque ſanctifica, & dignum redde qui meditationem & lectionem faciat cum omni ſapientia & intelligentia divinorum oraculorum: conſervans eum in converſatione nulli crimini obnoxia & irreprehenſibili, miſericordia, & miſerationibus unigeniti filii tui cum quo &c.

Dicto Amen, traditur Lectori liber Apoſtolicus, paululumque legit, datque illi pacem Epiſcopus: cantori vero traditur Pſalterium, dicitque ex Pſalterio propoſitum.

Ritus S. Ordinationis

in Eccleſia Latina a ſæculo IV. uſitatus, e Concilio CARTHAGINENSI IV. anno 398. cui S. AUGUSTINUS interfuit & ſubſcripſit, depromtus.

CAN. I. Qui Epiſcopus ordinandus eſt, antea examinetur, ſi natura ſit pru-

prudens, ſi docibilis, ſi moribus temperatus, ſi vita caſtus, ſi ſobrius, ſi ſemper ſuis negotiis cavens, ſi humilis, ſi affabilis, ſi miſericors, ſi litteratus, ſi in lege Domini inſtructus, ſi in ſcripturarum ſenſibus cautus, ſi in dogmatibus Eccleſiaſticis exercitatus, & ante omnia, ſi fidei documenta verbis ſimplicibus aſſerat, id eſt, Patrem & Filium & ſpiritum S. unum Deum eſſe confirmans, totamque Trinitatis Deitatem coeſſentialem, & conſubſtantialem, & coæternalem & coomnipotentem prædicans: ſi ſingularem quamque in Trinitate Perſonam plenum Deum, & totas tres Perſonas unum Deum; ſi incarnationem divinam non in Patre, neque in Spiritu S. factam, ſed in filio tantum credat, ut qui erat in divinitate Dei Patris filius, ipſe fieret in homine hominis matris filius: Deus verus ex Patre, homo verus ex matre, carnem ex matris viſceribus habens, & animam humanam rationalem; ſimul in eo ambæ naturæ, id eſt, Deus & homo, una Perſona, unus filius, unus Chriſtus, unus Dominus, creator omnium, quæ ſunt, & Author, & Dominus, & Rector cum Patre & Spiritu S. omnium creaturarum. Qui paſſus ſit vera paſſione, mortuus vera corporis ſui morte, reſurrexit vera carnis ſuæ reſurrectione, & vera animæ reſumptione, in qua veniet judicare vivos & mortuos. Quærendum etiam ab eo, ſi novi & veteris teſtamenti, id eſt, legis & Prophetarum & Apoſtolorum unum eundem-

que credat Authorem & Deum. Si Diabolus non per conditionem ſed per arbitrium ſit malus. Quærendum etiam ab eo, ſi credat hujus quam geſtamus & non alterius, carnis reſurrectionem. Si credat judicium futurum & recepturos ſingulos pro his, quæ in carne geſſerunt vel pœnas vel gloriam. Si nuptias non improbat; ſi ſecunda matrimonia non damnet; ſi carnium perceptionem non culpet; ſi pœnitentibus reconciliatis communicet; ſi in Baptismo omnia peccata, id eſt, tam illud originale contractum, quam illa, quæ voluntarie admiſſa ſunt, dimittantur. Si extra Eccleſiam Catholicam nullus ſalvetur. Cum in his omnibus examinatus, inventus fuerit plene inſtructus, tunc cum conſenſu Clericorum & Laicorum & conventu totius provinciæ Epiſcoporum, maximeque Metropolitani vel authoritate vel præſentia ordinetur Epiſcopus. Suſcepto in nomine Chriſti Epiſcopatu non ſuæ delectationi, nec ſuis motibus, ſed his Patrum definitionibus acquieſcat. In cujus ordinatione etiam ætas requiritur, quam ſancti Patres in præeligendis Epiſcopis conſtituerunt. Dehinc diſponitur, qualiter Eccleſiaſtica officia ordinantur.

Can. II. Epiſcopus cum ordinatur, duo Epiſcopi ponant & teneant Evangeliorum codicem ſupra caput & verticem ejus; & uno ſuper eum fundente benedictionem, reliqui omnes Epiſcopi qui adſunt, manibus ſuis caput ejus tangant.

Can.

CAN. III. Presbyter cum ordinatur, Episcopo eum benedicente & manum super caput ejus tenente, etiam omnes Presbyteri qui præsentes sunt, manus suas juxta manum Episcopi super caput illius teneant.

CAN. IV. Diaconus cum ordinatur, solus Episcopus, qui eum benedicit, manum super caput illius ponat; quia non ad sacerdotium, sed ad ministerium consecratur.

CAN. V. Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de Episcopi manu accipiat vacuam & calicem vacuum. De manu vero Archidiaconi urceolum cum aqua & mantile & manutergium.

CAN. VI. Acolythus cum ordinatur, ab Episcopo quidem doceatur, qualiter in officio suo agere debeat. Sed ab Archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, ut sciat se ad accendenda Ecclesiæ luminaria mancipari. Accipiat & urceolum vacuum ad suggerendum vinum in Evchariftiam sanguinis Christi.

Can. VII. Exorcista cum ordinatur, accipiat de manu Episcopi libellum, in quo scripti sunt exorcismi, dicente sibi Episcopo, accipe, & commenda memoriæ, & habeto potestatem imponendi manus super energumenum, sive baptizatum sive catechumenum.

CAN. VIII. Lector cum ordinatur, faciat de illo verbum Episcopus ad plebem,

 indi-

indicans ejus fidem, ac vitam atque ingenium. Poſthæc ſpectante plebe, tradat ei codicem de quo lecturus eſt, dicens ad eum: accipe & eſto lector verbi Dei, habiturus, ſi fideliter & utiliter impleveris officium, partem cum eis, qui verbum Dei miniſtraverint.

Can. IX. Oſtiarius cum ordinatur, poſtquam ab Archidiacono inſtructus fuerit, qualiter in domo Dei debeat converſari, ad ſuggeſtionem Archidiaconi tradat ei Epiſcopus claves Eccleſiæ de Altario, dicens: ſic age, quaſi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur.

Can. X. Pſalmiſta, id eſt, cantor poteſt absque ſcientia Epiſcopi, ſola juſſione Presbyteri, officium ſuſcipere cantandi, dicente ſibi Presbytero: vide, ut quod ore cantas, corde credas; & quod corde credis, operibus probes.

Can. XI. Sanctimonialis Virgo quum ad conſecrationem ſuo Epiſcopo offertur: in talibus veſtibus applicatur, *qualibus* ſemper uſura eſt, profeſſioni & ſanctimoniæ aptis.

Sacra,

Sacrarum

Ordinationum Ritus ex antiquiſſimo & venerando XII. ſæculorum codice Petaviano decerptus. Apud MORINUM de ſacris ordinationibus pag. 212. Edition. Antverp.

Acolythus cum ordinatur, ab Archidiacono quidem doceatur, qualiter officio ſuo agere debeat. Sed ab Archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, ut ſciat, ſe ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipari, & urceolum vacuum ad ſuggerendum vinum Evchariſtiæ corporis Chriſti.

Exorciſta cum ordinatur, accipiat de manu Epiſcopi libellum in quo ſcripti ſunt exorciſmi, dicente ſibi Epiſcopo: accipe, & commenda, & habeto poteſtatem imponendi manus ſuper inherquiminum, ſive baptizatum, ſive catechumenum.

Diaconus cum ordinatur, ſolus Epiſcopus, qui ei benedicit, manum ſuper caput illius ponat.

Presbyter cum ordinatur Epiſcopus ei benedicat, manum ſuam ſuper caput ejus teneat, etiam omnes Presbyteri qui præſentes ſunt, manus ſuas juxta manum Epiſcopi ſuper caput illius teneant.

Episcopus cum ordinatur, duo Episcopi manus eorum super caput ejus ponant, & teneant Evangeliorum codicem supra cervicem ipsius: & unum super eum infundentem benedictionem, reliqui omnes Episcopi, qui adsunt, manibus suis super caput ejus teneant.

Benedictio Ustearii (Ostiarii)

Deum Patrem omnipotentem suppliciter deprecemur, ut hunc famulum suum, benedicere dignetur, quem in officium ustearii eligere dignatus est, ut sit ei fidelissima cura in diebus ac noctibus, ad distinctionem horarum certarum ad invocandum nomen Domini. per &c.

Alia. Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, benedicere digneris famulum tuum hunc ustearium, ut inter Janitores Ecclesiæ paret obsequia, & inter partem tuam mereatur habere mercedem. Per Dominum &c.

Benedictio Acolythi.

Domine sancte Pater omnipotens æterne Deus, qui Moysen & Aaron locutus es, ut accenderetur lucerna in tabernaculo testimonii; sic benedicere & sanctificare digneris hunc famulum tuum ut sit Acolythus Ecclesiæ tuæ. per &c.

Præfatio Lectoris

Eligunt te fratres tui, ut ſis Lector in domo Dei tui, & agnoſcas officium tuum, ut impleas illud: potens eſt enim Deus, ut augeat tibi gratiam. per &c.

Benedictio Lectoris

Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, benedicere digneris famulum tuum hunc nomine illo in officium Lectoris, ut aſſiduitate lectionum diſtinctus, atque ordinatus curis modolis ſpirituali devotione lingua reſonet Eccleſiæ.

Præfatio Exorciſtæ.

Deum Patrem omnipotentem ſupplices deprecamur, ut hunc famulum ſuum nomen ill. benedicere dignetur in officio exorciſtæ, ut ſit ſpiritualis Imperator ad abjiciendos Dæmones de corporibus obſeſſis cum omni nequitia eorum multiformi. per &c.

Benedictio Exorciſtæ.

Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, benedicere digneris, famulum tuum hunc nomen ill. in officio exorciſtæ, ut per impoſitionis manuum, & honoris officium eum eligere digneris, & imperium habeat ſpirituum immundorum coercendorum, & probabilis ſit medicus Eccleſiæ, tunc gratia curationum virtute confirmatus.

Allocutio ad Subdiaconum ordinandum.

Exhibeatur in conſpectu Epiſcopi patena, & calix vacuus, & dicat ei Epiſcopus, vide cujus miniſterium tibi traditur, & ideo ſi usque nunc fuiſti tardus ad Eccleſiam, a modo debes eſſe aſſiduus. Si usque nunc ſomnolentus, a modo vigiles; ſi usque nunc ebrioſus, a modo ſobrius: ſi usque nunc inhoneſtus, a modo caſtus: oblationes, quæ veniunt in Altario panes propoſitionis appellantur. De ipſis oblationibus tantum debet in Altario poni, quantum populo poſſit ſufficere, ne aliquid putridum in ſacrario maneat. Pallæ vero, quæ ſunt in ſubſtratuorio, in alio vaſe debent lavi, in alio corporales pallæ. Ubi pallæ corporales lavatæ fuerint, nullum lenteamentum ibidem aliud debet lavi: ipſa aqua in baptiſterio debet vergi. Ideo te admoneo, tu ita te exhibe ut Deo placere poſſis, & trades ei calicem & patenam.

Præfatio Ordinationis Subdiaconi.

Oremus Deum & Dominum noſtrum, ut ſuper ſervum ſuum nomine ill. quem ad Subdiaconatus officium evocare dignatus eſt, infundat benedictionem, & gratiam ſuam, ut in conſpectu ſuo fideliter ſerviens, deſtinata ſanctis præmia conſequatur. Per Dominum.

Benedictio Subdiaconi.

Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus benedicere digneris famulum tuum

tuum hunc, nomen ill. quem ad Subdiaconatus officium eligere dignatus es, uti eum ſacrario tuo ſancto ſtrenuum, ſolicitumque cœleſti militiæ inſtituas, & ſanctis Altaribus fideliter ſubminiſtret, & requieſcat ſuper eum ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilii & fortitudinis; ſpiritus ſcientiæ & pietatis. Repleas eum ſpiritu timoris tui, ut eum in miniſterio divino confirmes, ut obediens atque dicto parens tuam gratiam conſequatur. Per Dominum.

Allocutio ad populum in ordinatione Diaconi.

Dilectiſſimi fratres, quamlibet poſſint ad ordinationem Eccleſiaſtici miniſterii promovendam ſibi ipſa ſufficere privilegia ſacerdotum: attamen quia probabilior & noſtra apud Dominum converſatio eſt, & eorum quorum honor augetur, major eſt gratia, ſi id, quod arbitria noſtra eligunt, etiam veſtra eligat dilectionis adſenſus. Idcirco filio noſtro illo cupio ad officium Diaconatus in conſortium noſtrum divinitatis auxilium promovere, an eum dignum hoc officio cenſeatis ſcire deſidero. Et ſi veſtra apud meam concordat electio, teſtimonium quod vultis, vocibus adprobare. per &c.

Oratio ad Diaconum ordinandum.

Oremus dilectiſſimi Deum Patrem omnipotentem, ut ſuper hunc famulum, quem ad

ad officium Diaconatus vocare dignatur, benedictionem gratiæ clementer effundat, & consecrationis adulta propitius dona conservet, ut preces nostras clementer exaudiat, & quæ nostro gerenda sunt offico, suo benigno prosequatur auxilio, & quem sacris ministeriis exequendis pro nostra intelligentia credimus offerendum, sua potius electione justificet. Per Dominum.

Consecratio.

Adesto quæsumus omnipotens Deus honorum dator, ordinum distributor, officiorumque dispositor, qui in te manens, innovas omnia, & cuncta disponis per verbum, virtutem sapientiamque tuam Jesum Christum filium tuum Dominum nostrum, sempiterna providentia præparas, & in singulis quibusque temporibus aptanda dispensas; cujus corpus Ecclesiam tuam cœlestium gratiarum varietate distinctam suorumque connexam discretione membrorum per legem totius mirabilem compagis unitam in augmentum templi tui crescere, dilatarique largiris, sacri muneris servientem trinis gradibus Ministrorum nomini tuo militare constituens electis ab initio levi filiis, qui mysticis operationibus domus tuæ fidelibus excubiis permanentes, hæreditatem benedictionis æternæ sorte perpetua possiderent; super hunc famulum tuum quæsumus Domine placatus intende, quem tuis sacris serviturum in officium Diaconi suppliciter dedicamus, & nos quidem

quidem tanquam homines divini ſenſus & ſummæ rationis ignari hujus vitam, quantum poſſumus, æſtimamus. Te autem Domine, quæ nobis ſunt ignota, non tranſeunt: te occulta non fallunt. Tu cognitor peccatorum: tu ſcrutator es animarum. Tu veraciter in eum cœleſte potes adhibere judicium, & velut indignis donare, quæ poſcimus. Emitte in eum quæſumus Domine Spiritum S. in opus miniſterii fideliter exequendi munere ſeptiformis tuæ gratiæ roboretur. Abundet in eum totius forma virtutis, auctoritas, modeſtia, pudor, conſtans innocentiæ & ſpiritualis obſervantia diſciplinæ: in moribus ejus præcepta tua fulgeant, ut ſuæ caſtitatis exemplo imitationem ſanctæ plebis adquirat, & bonum conſcientiæ teſtimonium perferens in Chriſto firmus & ſtabilis perſeveret, dignisque ſucceſſionibus de inferiore gradu per gratiam tuam potiora capere mereatur. Per Dominum noſtrum.

Exaudi Domine ſupplicum preces, & devoto tibi pectore famulantes perpetua defenſione cuſtodi, ut nullis perturbationibus impediti liberam ſervitutem tuis ſemper exhibeamus officiis. Per Dominum noſtrum.

Ad confirmandum Diaconatus officium.

Commune votum, communis proſequatur oratio, ut is totius Eccleſiæ prece, qui in Diaconatus miniſterio præparatur, levitice benedictioni & ſpirituali converſatione

præ-

præfulgens gratia ſanctificationis eluceat. Per Dominum.

Benedictio ſequitur.

Domine ſancte, ſpei, fidei, gratiæ, & profectuum munerator, qui in cœleſtibus & terrenis Angelorum miniſteriis ubique diſpoſitis per omnia elementa voluntatis tuæ defendes affectum, hunc quoque famulum tuum illo ſpeciali dignare illuſtrare aſpectu, ut tuis obſequiis expeditus, ſanctis Altaribus miniſter purus adcreſcat, ut indulgentia purior eorum gradu, quos Apoſtoli tui in ſeptenario numero, beato Stephano duce ac prævio, ſancto Spiritu auctore elegerunt, dignus exiſtat, & virtutibus univerſis quibus tibi ſervire oportet inſtructus compleat. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Allocutio ad populum in ordinatione Presbyteri.

Quoniam dilectiſſimi fratres, Rectori navem & navigium deferendis eadem eſt vel ſecuritatis ratio vel timoris, communis eorum debet eſſe ſententia, quorum cauſa communis exiſtit, nec fruſtra a Patribus reminiſcimur inſtitutum, ut de electione eorum, qui ad regimen Altaris adhibendi ſunt, conſulatur. Quia de actu & converſatione præſenti quod nonnunquam ignoratur a pluribus, ſcitur a paucis. Et neceſſe eſt, ut

faci-

facilius quis obedientiam exhibeat ordinato cui adſenſum præbuerit ordinando. Fratris noſtri & Compresbyteri, converſatio, quantum noſſe mihi videor probata, ac Deo placita eſt, & digna ut arbitror, Eccleſiaſtici honoris augmento. Sed ne unum fortaſſe vel paucos, aut decipiat aſſenſio, aut fallat affectio, ſententia eſt exſpectanda multorum. Itaque quid de ejus actibus aut moribus noveritis, quid de meritis ſentiatis Deo teſte conſulemus. Debet hanc fidem habere veſtra charitas, quam ſecundum præceptum Evangelii & Deo exhibere debetis, & proximo, ut hinc teſtimonium ſacerdoti magis pro merito quam pro affectione aliquid tribuatis. Et qui devotione omnium expectamus, intelligere tacentes non poſſumus. ſcimus tamen, quod eſt acceptabilius Deo, aderit per Spiritum ſanctum conſenſus unus omnium animorum, & ideo electionem veſtram debetis voce publica profiteri. Per Dominum.

Oratio ad Presbyteros ordinandos.

Oremus dilectiſſimi Deum Patrem omnipotentem, ut ſuper hunc famulum ſuum, quem ad Presbyterii munus eligit, cœleſtia dona multiplicet, & quæ ejus dignatione ſuſcipit, ejus exequatur auxilio. Per Dominum.

Item alia. Exaudi nos Deus ſalutaris noſter & ſuper hunc famulum tuum benedictionem

ctionem Spiritus S. & gratiæ ſacerdotalis effundis virtutem, ut quem tuæ pietatis ſuſpectibus offerimus conſecrandum, perpetua muneris tui largitate perſequaris. Per Dominum.

Conſecratio.

Domine ſancte Pater omnipotens æterne Deus, honorum omnium, dignitatum quæ tibi militant, diſtributor, per quem cuncta firmantur, amplificatis ſemper in melius naturæ rationalis incrementis per ordinem congruam rationem diſpoſitum, unde ſacerdotalis gradus & officia Levitarum Sacramentis myſticis inſtituta creverunt, ut cum Pontifice ſummos regendis populis præfeciſſes ad eorum ſocietatis & operis adjumentum ſequentes ordines viros, & ſecundæ dignitatis elegeris, ſic in Eremo per 70. virorum prudentium mentis Moyſi ſpiritum propagaſti, quibus ille adjutoribus uſus in populo, innumeras multitudines facile gubernavit. Sic & Eleazaro & Ithamar filiis Aaron paternæ plenitudinis abundantiam transfudiſti, & ad hoſtias ſalutaris & frequentioris officii Sacramenta ſufficeret meritum Sacerdotum. Hac providentia Domine, Apoſtolis filii tui Doctores fidei comites addidiſti, quibus illi orbem totum ſecundis prædicatoribus impleverunt. Quapropter infirmitati quoque noſtræ, Domine quæſumus hæc adjumenta largire, qui quanto magis

gis fragiliores ſumus, tanto his plurius indigemus. Da quæſumus, omnipotens Pater, in hoc famulo tuo illo Presbyterii dignitatem: innova in viſceribus ejus ſpiritum ſanctitatis acceptum a te Deus ſecundi meriti munus obtineat, cenſuramque morum exemplo ſuæ converſationis inſinuet. Sit providus cooperator ordinis noſtri, eluceat in eum totius forma juſtitiæ, ut bonam rationem diſpenſationis ſibi creditæ redditurus æternæ beatitudinis præmia conſequatur.

Confirmatio Presbyteri.

Sit nobis fratres communis oratio, ut his, qui in adjutorium & utilitatem veſtræ ſalutis eligetur, Presbyteratus benedictionem divini indulgentia muneris conſequatur, & S. Spiritus ſacerdotalia dona privilegio virtutum, ne impar loco deprehendatur, obtineat per ſuum. per &c.

Item Benedictio.

Sanctificationum omnium auctor, cujus vera conſecratio, plena benedictio eſt, tu Domine ſuper hunc famulum ill. quem Presbyterii honore dedicamus, manum tuæ benedictionis in eum infunde, ut gravitate actuum & cenſura vivendi probet ſe eſſe ſeniorem, his inſtitutus diſciplinis, quas Tito & Timotheo Paulus expoſuit, ut in lege tua die ac nocte, omnipotens, meditans quod elegerit, credat; quod crediderit, doceat; quod docuerit, meditetur: juſtitiam, conſtantiam, miſericordiam, fortitudinem in ſe oſtendat, exem-

exemplum probet, admonitionem confirmet, ut purum atque immaculatum miniſterii tui donum cuſtodiat, & per obſequium plebis tuæ corpus & ſanguinem filii tui immaculata benedictione transformet, & inviolabili charitate in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, in die juſtitiæ æterni judicii, conſcientia pura, fide plena, ſpiritu S. plenus perſolvat. Per Dominum.

Conſecratio manus.

Conſecrentur manus iſtæ, & ſanctificentur per iſtam unctionem, & noſtram benedictionem, ut quæcunque dixerint, benedicta ſint, & quæcunque ſanctificaverint, ſanctificentur. Per Dominum.

Item alia.

Ungantur manus iſtæ de oleo ſanctificato, & chriſmate ſanctificationis, ſicut unxit Samuel David in Regem, & Prophetam, ita ungantur & conſummentur in nomine Dei Patris, & filii & Spiritus S. facientes imaginem ſanctæ crucis ſalvatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui nos a morte redemit, & ad regna cœlorum perducit. Exaudi nos pie Pater omnipotens æterne Deus, & præſta quod te rogamus, & oramus. Per Dominum.

Exhortatio ad Populum cum Epiſcopus ordinatur.

Servanda eſt, dilectiſſimi fratres, in exceſſu ſacerdotum, antiqua Eccleſiæ conſuetudo, ut decidentibus alii quidem digniſſime ſub-

ſubrogentur per quorum doctrinam fides Catholica & Religio Chriſtiana ſubſiſtat, ne ovile Domini præda violentus irrumpat, & diſperſas absque paſtore oves fur nocturnus invadat. Recepto itaque diſpenſatione Dei ſacerdote veſtro ſolicite vobis agendum eſt, ut in locum defuncti talis ſucceſſor præparetur Eccleſiæ, cujus pervigili cura, & inſtanti ſolicitudine ordo Eccleſiæ, & credentium fides in Dei timore melius convaleſcat. Qui præcipienti Apoſtolo in omni doctrina formam boni operis ipſe præbeat; cuique habitus, ſermo, vultus, inceſſus, doctrina, virtus ſit. Qui nos ut Paſtor bonus fide inſtruat, exemplum patientiæ doceat, doctrinam Religionis inſtituat, in omni opere bono confirmet charitatis exemplum, ſecundum voluntatem ergo Domini in locum ſanctæ memoriæ, illi nomen virum venerabilem ill. teſtimonio Presbyterorum, & totius Clerici, & conſilio civium ac conſiſtentium credimus eligendum, virum ut noſtis natalibus nobilem, moribus clarum, Religione probum, fide ſtabilem, miſericordia abundantem, humilem, juſtum, pacificum, patientem, charitatem habentem, tenacem in cunctis, quæ ſacerdoti eligenda ſunt, bonis omnibus exuberantem. Hunc ergo, dilectiſſimi fratres, teſtimonii boni operis electum, digniſſimum ſacerdotio conſonantes laudibus clamate, & dicite, dignus eſt.

Oratio & preces de ordinandis Episcopis.

Oremus dilectiſſimi nobis, ut his viris ad utilitatem Eccleſiæ providendis benignitas omnipotentis Dei gratiæ ſuæ tribuat largitatem. Per Dominum.

Exaudi Domine ſupplicum preces, ut quod noſtrum gerendum eſt miniſterium, tua potius virtute firmetur. Per Dom. noſtr. Jeſum Chriſtum propitiare Domine ſupplicationibus noſtris, & inclinatus ſuper hos famulos tuos cornu gratiæ ſacerdotalis, benedictionis tuæ in eos effunde virtutem. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Coll. ſequitur.

Deum totius ſanctificationis ac pietatis authorem, qui placationem ſuam, & ſacrificia & ſacra conſtituit, fratres dilectiſſimi, deprecemur, ut hunc famulum ſuum, quem ex Altari in Eccleſia & ſeniorum cathedra concordibus ſua inſpiratione judiciis & effuſis ſuper plebem ſuam votis fidelibus, ac vocum teſtimoniis voluit imponi, collocans eum cum principibus populi ſui, ad eorum nunc precem univerſam, eundem ſummum ſacerdotium debita honoris plenitudine chariſmatum gratia ſanctificationum ubertate hac, præcipue humilitatis virtute locupletet, ut Rector potius non extollatur, ſed in omnibus ſe quantum eſt major humilians, ſit in ipſis quaſi unus ex illis, omnia judicii Domini noſtri non pro ſe tantum, ſed & pro omni popu-

populo, qui ſollicitudini ſuæ creditur contremiſcens, ut qui meminerit de ſpeculatorum manibus omnium animas requirendas pro omnium ſalute pervigilet, paſtorali erga creditas ſibi oves Domini diligentiæ ejus ſemper ſe flagrantiſſimum approbans. Te delictorum adigitur præfuturus ex omnibus electus, ex omnibus univerſis ſacris, ſacrandisque idoneus fiat ſub hac quæ eſt homini per hominem poſtrema benedictio conſummata atque perfecta ſuæ conſecrationis noſtræ ſupplicationis attentiſſime concordiſſimisque omnium precibus adjuvemur, omnium pro ipſo oratio incumbat, cui exorandi pro omnibus pondus imponitur. Impetret ei affectus totius Eccleſiæ virtutem, pietatem, ſanctificationem, & cæteras ſummi ſacerdotii ſacras dotes univerſæ Eccleſiæ profuturas, Domino Deo noſtro, qui ſacrorum munerum profluus fons eſt, qui dat omnibus affluenter, quod ſacerdoti pro affectu poſcitur ad exundandam in omnibus ſanctificationem ſuorum omnium promptiſſime ac pleniſſime conferente. Per Dominum noſtrum.

Conſecratio.

Deus honorum omnium, Deus omnium dignitatum, quæ gloriæ tuæ ſacris famulantur honoribus: Deus qui Moyſen famulum tuum ſecreti familiaris affectu inter cætera cœleſtis documenta culturæ, de habitu quoque indumenti ſacerdotalis inſtituens, electum Aaron myſtico amictu veſtire inter

facra juffifti, ut intelligentiæ fenfum de exemplis priorum caperet fecutura pofteritas, ne eruditio doctrinæ tuæ ulli deeffet ætati, cum & apud veteres reverentiam ipfam fignificationum fpecies obtineret, & apud nos certiora effent experimenta rerum quam ænigmata figurarum. Illius namque facerdotii interioris habitus noftræ mentis ornatus eft, & Pontificialis gloria non jam nobis honorem commendat veftium fed fplendorem animarum. Quia & illa quæ tunc carnalibus blandiebantur obtutibus ea potius, quæ ipfis erant intelligenda, pofcebant. Et idcirco famulis tuis, quæfumus, quos ad fummum facerdotium elegifti, hanc quæfumus, Domine gratiam largiaris, ut quidquid illa velamina in fulgore auri, in nitore gemmarum, & multimodi operis varietate fignabant, hoc in horum moribus clarefcat complete, Domine in facerdotibus tuis myfterii tui fummam, & ornamentis totius glorificationis inftructum cœleftis unguenti flore fanctifica. Hoc Domine, copiofe in eorum caput influat, hoc in oris fubjecta decurrat, hoc in totius corporis extrema defcendat, ut tui fpiritus virtus & interiorum ora repleat, & exteriora circumtegat. Abundet in his conftantia fidei, puritas dilectionis, fynceritas pacis. Sint fpeciofi munere tuo pedes horum ad Evangelizandum pacem, ad Evangelizandum bona tua. Da eis Domine minifterium reconciliationis in verbo, & in virtute, & fignorum, & prodigiorum. fit

fermo

ſermo eorum & prædicatio non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus & virtutis. Da eis Domine claves regni cœlorum. Utantur nec glorientur poteſtate quam tribuis, in ædificationem, non in deſtructionem. Quodcunque ligaverint ſuper terram, ſit ligatum & in cœlis. Et quodcunque ſolverint ſuper terram, ſit ſolutum & in cœlis. Quorum detinuerint peccata detenta ſint, & quorum dimiſerint, tu dimittas. Qui benedixerit eis, ſit benedictus, & qui maledixerit eis, maledictionibus repleatur. Sint ſervi fideles & prudentes, quos conſtituas tu Domine ſuper familiam tuam, ut dent illis cibum in tempore neceſſario, ut exhibeant omnem hominem perfectum. Sint ſolicitudine impigri, ſint ſpiritu ferventes, oderint ſuperbiam, diligant veritatem, nec eam unquam deſerant, aut laſſitudine aut timore ſuperati. Non ponant lucem ad tenebras, nec tenebris lucem; non dicant malum bonum, nec bonum malum. Sint ſapientibus & inſipientibus debitores & fructum de profectu omnium conſequantur. Tribuas eis Domine cathedram Epiſcopalem ad regendam Eccleſiam tuam, & plebem univerſam. Sis eis authoritas, ſis eis poteſtas, ſis eis firmitas. Multiplices ſuper eos benedictionem & gratiam tuam, ut ad exorandam ſemper miſericordiam tuam pro tuo munere idonei, tua gratia poſſint eſſe devoti. Per Dominum noſtrum.

Super oblata.

Suſcipe Domine munera, quæ tibi offerimus pro famulo tuo illo, & propitius in eodem tua dona cuſtodi.

Hanc igitur oblationem quam tibi offerimus pro illo famulo tuo, quem ad Pontificalem gloriam promovere dignatus es, quæſumus Domine placatus accipias, ut quod divino munere conſecutus eſt tua in protectione firmetur. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.

Adeſto miſericors Deus, ut quod actum eſt noſtræ ſervitutis officio, tua benedictione firmetur. per &c.

Item alia. Eccleſiam tuam Domine benignus illumina, ut & gratis tui proficiant ubique ſucceſſus, & grati fiant nomini tuo te gubernante paſtores. Per Dominum.

Orationes illæ poſtremæ titulum SUPER OBLATA, ſequentes, ſunt orationes ordinatione facta ad Miſſam complendam dicendæ. Poſtea ſequitur in antiquiſſimo illo codice ritus conſecrationis virginum, in cujus fine datur ei pallium cum his verbis: *accipe puella pallium, quod perferas ſine macula ante tribunal Domini noſtri Jeſu Chriſti, cui flectitur omne genu cœleſtium, & terreſtrium, & infernorum.* Succedit benedictio & conſecratio veſtimentorum viduæ. Deinde ritus viduæ caſtitatem profitentis. De Abbate nihil habet codex.

PRÆLE-

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ DE MATRIMONIO.

Matrimonium, a *Matre* potius quam a Patre ſic dictum, quoniam matris eſt cura præcipua in educandis liberis, qui finis ordinarius eſt matrimonii, alio nomine appellatur *connubium* ſeu nuptiæ, a nubendo ſeu velando; ſponſæ enim apud veteres, quando marito tradebantur, capita nubere ſeu velare ſolebant in ſignum pudoris & modeſtiæ. Denique etiam *conjugium* dicitur, eoquod matrimonii onera, ſeu jugum ambo ſimul portare debent. Spectari poteſt vel ut CONTRACTUS, isque aut *naturalis*, aut *civilis:* vel ut SACRAMENTUM. Ut *contractus naturalis* eſt ordinatus in officium naturæ, poteſtque dici actio, per quam vir & mulier corporum Dominium ad uſum conjugalem, ſeu propagationem generis humani ſibi mutuo tradunt. Vel definitur, quod ſit contractus inter marem & fœminam per ſe & ex ſuo genere ad individuam vitæ ſocietatem, actusque ad generationem prolis idoneos obligans. Ut *contractus civilis* 1

certis quibusdam circumſcribitur legibus & ſolemnitatibus, quas jura contractibus aliis naturalibus adjicere poſſunt. Ut *Sacramentum*, eſt ipſe hic contractus, ad dignitatem Sacramenti elevatus, conſiſtens in ſignificatione unionis Chriſti cum Eccleſia, vel naturæ divinæ cum humana, conferens gratiam ad minuendum ardorem concupiſcentiæ & ſancte educandas proles. Poteſt iterum ſpectari vel in fieri vel in facto eſſe. *In fieri* eſt ipſe conſenſus de præſenti ab utroque præſtitus. *In facto eſſe*, eſt vinculum perpetuum ex conſenſu ortum. aliud eſt *Ratum*, aliud *conſummatum*. *Ratum* dicitur, quod pro valido agnoſcitur vel ratihabetur ab Eccleſia vel republica, etiamſi nondum copula carnali fuerit conſummatum. Ex quo per ſe intelligitur, quid ſit *conſummatum*. Inter utrumque inſignis eſt differentia; *conſummatum* enim nullo caſu niſi per mortem quoad vinculum ſolvi poteſt inter fideles: *Ratum* vero diſſolvitur per profeſſionem religioſam, aut diſpenſationem Pontificis, de qua tamen litigatur.

Aliud eſt *publicum*: aliud *conſcientiæ* ſeu ad morgenaticam. Illud contrahitur notorie in ordine ad Effectus civiles conjugii: ut jura ſucceſſionis, pacta dotalia reciproca. *Hoc* contrahitur præciſe ad evitandam fornicationem, quin uxor acquirat effectus civiles, cujuſmodi ſæpe fieri ſolet inter illuſtres, qui cum fœmina plebeja, aut inferioris ſtatus

tus contrahunt, ut jura hæreditaria liberis ex priori matrimonio ſalva maneant, poſteriores vero inde penitus excludantur. Cum materia de Matrimonio fuſe pertractetur Lib. IV. decretalium, & in Theologia morali: ideo ea ſolum hic tradentur, quæ aut fidei dogmata ſpectant, aut non nullas ſcholæ controverſias. Itaque duobus capitibus totum abſolvam. *Primo* acturus de contractu, *altero* de Sacramento.

CAPUT I.

DE MATRIMONIO IN RATIONE CONTRACTUS CONSIDERATO.

Cum matrimonium contractus rationem habeat, ideo certum eſt, in reciproco conſenſu illud conſiſtere. Quodnam vero hujus conſenſus objectum ſit, an actualis corporum traditio, vel potius animorum conjunctio, de hoc §. I. inquiritur. §. II. de Matrimonii honeſtate, inſtitutione, & præcepto. III. De Polygamia ſimultanea. IV. De Polygamia ſucceſſiva. V. De indiſſolubili matrimonii vinculo. 2

§. I.

De eſſentia contractus Matrimonii.

Julianus de ſecta Pelagii matrimonii eſſentiam in ipſa corporum conjunctione, ſeu 3

 carnali

carnali copula constituit, ut AUGUSTINUS tradit Lib. V. contra eundem Julianum. cap. XVI. quem secutus est WICLEFUS testante THOMA Waldensi, eoque propendisse videtur GRATIANUS XXVII. 2. cap. *quos autem.* & cap. *institutum.* Nec defuere Theologi, qui id ipsum arbitrati sunt, inferentes propterea inter B. Virginem MARIAM & S. JOSEPHUM non intercessisse verum matrimonium. At communior est hodie sententia contraria, quam dat sequens

4 RESOLUTIO. Essentia Matrimonii non consistit in conjunctione corporum, sed animorum.

Prob. I. Inter B. Virginem MARIAM & S. JOSEPHUM verum fuit matrimonium absque ulla carnali copula; utpote cum B. Virgo nec animum unquam ad illam habuerit, emisso jam ante virginitatis voto, ut Theologi sentiunt communiter, propter illa ejus ad Angelum verba: *quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* ergo &c. *antec. prob.* B. Virgo in Evangelio appellatur *conjux* Joseph. Sic enim ait angelus ad eum: Joseph &c. noli timere accipere *Mariam conjugem tuam:* quod de vero conjugio S. AUGUSTINUS exponit. Lib. I. de nupt. & concupisc. cap. XI. & S. AMBROSIUS lib. de institutione virginis cap. VI. ubi eorum opinionem, qui B. Virginis Matrimonium non verum existimabant, his verbis refellit. „ Cum initiatur conjugium, tunc conjugii „ nomen

„ nomen adſciſcitur; non enim defloratio „ virginitatis facit conjugium, ſed pactio „ conjugalis. Denique cum jungitur puel„ la, conjugium eſt, non cum virili ad„ mixtione cognoſcitur. „ Sic & CHRYSOSTOMUS Homil. XXXIII. in Matth. Matrimonium non facit coitus ſed voluntas. vid. GRATIAN. XXVII. q. 2. Exemplum matrimonii virginalis V. ſæculo imitata eſt PULCHERIA Auguſta, quæ MARCIANUM ea lege Matrimonio ſibi junxit, ut virginitatis, quod antea emiſerat votum, ſervaret illæſum. idem de S. EDUARDO, & HENRICO Bavaro legitur.

Prob. II. Ratione. Uſus rei, de qua 5
contrahitur, non pertinet ad ſubſtantiam contractus: ergo nec uſus corporum, quorum dominium tradunt conjuges, pertinet ad ſubſtantiam matrimonii: ſuppoſito quod contrahentes libero conſenſu uſui renuntient.

Prob. III. Valet matrimonium cum 6
pacto perpetuæ continentiæ, ut patet ex dictis, & amplius probatur. Nam tale conjugium adhuc retinet ſignificationem unionis Chriſti cum Eccleſia, vel cum anima per charitatem, etſi non ſignificet unionem hypoſtaticam naturæ divinæ cum humana; hæc enim ſignificatio pertinet ad matrimonium *conſummatum*, illa ad matrimonium *ratum*, quod ſolum requirit individuam vitæ ſocietatem.

Prob.

Prob. IV. Valet matrimonium inter ſenes, qui per effæta corpora non poſſunt conjugio uti. *ergo* &c.

Prob. V. Matrimonium erat inter primos parentes, antequam carnale habuerint commercium. *ergo.*

7 *Prob. VI.* Si quis ſponſalia cum puella de futuro contraxit, addito juramento, ſe cum ea contracturum de præſenti intra biennium: poſtea autem ſtatuit Religionem ingredi; hic ante ingreſſum contrahere cum ſponſa poteſt, ut juramentum impleat, & poſtea ſi copula non fuerit ſecuta, nec matrimonium fuerit conſummatum, Religionem ingredi: ut habetur cap. *commiſſus.* XVI. de ſponſal. atqui in tali non poteſt eſſe conſenſus in carnalem copulam. *ergo* &c.

8 Objic. I. Matrimonium involvit jus reciprocum in corpora conjugum. Ergo carnalis conjunctio eſt objectum hujus conſenſus, nec conſequenter ſtare poteſt cum voto caſtitatis.

II. Si ſufficeret ſola animorum conjunctio, tunc valere poſſet matrimonium inter fratrem & ſororem, item inter impotentes, quia poſſent ex contractu perpetuo cohabitare absque petitione debiti: atqui utrumque falſum. *ergo* &c.

III. Si inter B. Virginem & S. Joſephum fuiſſet verum matrimonium, ſequeretur, illam jus in corpus tradidiſſe Joſepho, quod prius

prius per votum caſtitatis ceſſerat Deo. Atqui hoc dici nequit; ſic enim violaſſet votum. *ergo* &c.

IV. Non valet contractus v. g. venditionis, niſi transferatur in emptorem Dominium: ergo nec valet matrimonium ſine traditione Dominii in corpus conjugis. Atqui non poteſt tradi dominium corporis ſtante voto continentiæ. *ergo* &c.

V. S. AUGUSTINUS relatus a GRATIANO Can. 16. XXVII. q. 2. ſic ſcribit: „ Non eſt „ dubium illam mulierem non pertinere ad „ matrimonium, cum qua docetur non fuiſſe „ commixtionem *ſexus*. ergo &c.

VI. LEO I. ibidem relatus Cap. XVII. deſumpto ex Epiſt. 188. reſpondet RUSTICO Narbonenſi: „ Cum ſocietas nuptiarum ita „ ab initio conſtituta ſit, ut præter ſexuum „ conjunctionem non haberet in ſe Chriſti „ & Eccleſiæ Sacramentum, dubium non „ eſt, eam mulierem non pertinere ad ma„ trimonium, in qua docetur nuptiale non „ fuiſſe myſterium. „ *ergo* &c.

RESP. ad I. *diſting.* Matrimonium, etiam *quoad accidentalia perfectum*, involvit jus in corpora, *conc.* ſolum *quoad ſubſtantiam perfectum*, cui tamen accidentalis perfectio deeſt, nego. ut enim S. Thomas advertit 3. p. q. 29. a. 2. Matrimonium ſeu conjugium, dicitur verum ex hoc, quod ſuam perfectionem attingit. Duplex eſt autem rei perfectio,

fectio, prima & secunda. Prima quidem rei perfectio consistit in ipsa forma, ex qua speciem sortitur. Secunda vero perfectio consistit in ipsa operatione, per quam res aliqualiter suum finem attingit. Forma autem matrimonii consistit in quadam indivisibili conjunctione animorum, per quam unus conjugum indivisibiliter alteri fidem servare tenetur. Finis autem matrimonii est proles generanda, & educanda; ad quorum primum pervenitur per concubitum conjugalem; ad secundum per alia opera viri & uxoris, quibus sibi invicem obsequuntur ad prolem nutriendam. Ex his infert S. D. quod quantum ad primam perfectionem omnino verum fuit matrimonium Virginis Matris Dei & Joseph. Quia uterque consensus in copulam *conjugalem*, non autem expresse in copulam *carnalem*, nisi sub conditione: si Deo placeret - - - Quantum vero ad secundam perfectionem, quae est per actum matrimonii, si hoc referant ad carnalem concubitum, per quam proles generatur, non fuit illud matrimonium consummatum &c. haec S. Thomas.

Resp. ad II. Spectato solo jure naturae non videtur inconveniens matrimonium inter fratrem & sororem cum voto continentiae. Quia vero secundum leges illud ordinarie contrahitur publice, non posset hoc fieri sine scandalo; putarent enim omnes, illos contrahere matrimonium in ordine ad copulam car-

carnalem, quæ naturaliter turpis & prohibita eſt inter proxime conſanguineos. Inter impotentes autem non valebit, propter periculum incontinentiæ & actus ſaltem imperfectos.

Resp. ad III. *diſting.* Si fuiſſet matrimonium etiam *accidentaliter* perfectum, *conc.* ſecus, *nego.*

Resp. ad IV. nego *antec.* Et ſuppoſitum, quod in omni contractu debeat transferri dominium, aut quod matrimonium ratum ſapiat naturam emptionis. Sic in depoſito non transfertur dominium. Denique translatio Dominii in corpus Matrimonium facit tantum accidentaliter perfectum, non autem requiritur ad ſubſtantiam, ex dictis.

Resp. ad V. Ajunt, hunc textum non legi apud Augustinum, ſi tamen hujus eſſet, intelligendus foret de matrimonio *accidentaliter* perfecto.

Resp. ad VI. Genuina lectio omittit particulam *non.* & legendum eſt: *conjunctionem haberet in ſe* &c. Eſt autem ibi ſermo de concubinariis, inter quos non datur matrimonium; quia non ſignificat unionem Chriſti cum Eccleſia, quæ eſt indiſſolubilis: conjunctio autem concubinaria, utpote illicita, ſtatim ſolvenda eſt.

§. II.

§. II.

An Matrimonium ſit licitum, a Deo inſtitutum & præceptum.

9 Circa Matrimoni honeſtatem, ac inſtitutionem varie errarunt veteres hæretici. Primus omnium, ut ſcribit Theodoretus, Matrimonium doctrinam diaboli nominavit Saturninus, videlicet a Satana eſſe inventum, ac proinde illicitum. Marcion virginitatem adeo extollebat, ut matrimonium, carnisque generationem tanquam malam deteſtaretur: quem ſecutus eſt Lucianus, vel Lucanus ejus diſcipulus. Severus, unde ſeveriani, ut refert S. Epiphanius hæres. 45. mulierem opus Satanæ eſſe dixit, id, quod & Archonticis placuit: ideoque qui ſe nuptiis copulant, Satanæ opus perficere, imo & hominis alteram partem Dei, alteram Diaboli eſſe confirmant. Nam quod ab umbilico ſurſum porrigitur, divinæ molitionis eſſe: quod infra umbilicum, a mala poteſtate conditum ſtatuunt. Tatianus & inde orti Encratitæ negabant, nuptias eſſe a Deo, nec a fornicatione & ſtupro differre volebant. Adamitæ ſingulari errore nuptias proſcripſere; eoquod Adam & Eva non niſi poſt peccatum nuptiis fuerint conjuncti. Damnarunt eas etiam Cathari, Novatianorum progenies: item Hieracitæ, eoquod veteri tantum teſtamento eſſent propriæ. Priscillianistæ, ut Gnoſticorum,

Manichæorumque turpiſſimos ſuſcitarunt errores, ita & nuptias, & matrimonii uſum reprobabant; non quidem amore continentiæ, ſed ob promiſcuum, quod deperibant, cum mulieribus commercium. Hinc Priscillianus uxores etiam invitas a maritis abſtraxit, easque velut adoptivas etiam cum Clericis & monachis turpiſſime commiſceri permiſit. Abeliani non ipſum quidem conjugium, ſed ejus uſum rejiciebant, eoquod Abel, quem ſe imitari profitebantur, conjugem quidem habuerit, ea tamen uſus haud fuerit. In oppoſitum his omnibus errorem lapſi ſunt Novatores, qui Jovinianum, dudum ab Eccleſia damnatum, ſecuti matrimonium adeo extollebant; ut virginitati adæquarent, imo cælibatum, tanquam impudicitiarum fontem, non raro damnent. Medium tenet doctrina Catholica, quæ nuptias non damnat, imo Sacramentum eſſe docet: virginitatem tamen eidem præfert. His itaque obſervatis

Resolutio I. Nuptiæ, legitime contractæ, honeſtæ ſunt & licitæ, atque ab ipſo Deo inſtitutæ.

Prob. I. pars ex ſacra ſcriptura Matth. XIX. ubi Chriſtus matrimonium probat, tanquam a Deo inſtitutum, & diſſolvi non poſſe docet. Imo ipſe ſua præſentia in Cana illud ſanctificavit: cui certe intereſſe noluiſſet, ſi illicitum fuiſſet. Probat eas etiam Paulus I. Corinth. VII. „ iis autem, qui matri-

„ monio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed „ Dominus, uxorem a viro non diſcedere. „ Item ſi acceperis uxorem non peccaſti. „ Et ſi nupſerit virgo non peccavit. „ Ad Epheſ. V. Matrimonium etiam *Sacramentum* eſſe probat. Ac tandem I. Timoth. IV. prædicit futurorum hæreticorum errores, *prohibentium nubere.* Cum tamen ut ad Hebræos cap. XIII. dicatur honorabile conjugium in omnibus, & thorus immaculatus.

11 *Prob. II.* ex traditione. Nam oppoſitum errorem ex inſtituto confutarunt CLEMENS Alexandrinus Lib. III. Stromat. & Lib. II. Pædagogi cap. X. TERTULLIANUS Lib. I. contra Marcion. cap. XXIX. AUGUSTINUS Lib. de bono conjugali. & lib. de nuptiis & concupiſcentia; item S. BERNARDUS ſerm. LXVI. in cant. ubi quosdam ſui temporis hæreticos nuptias averſatos perſtringit, ut jam alios taceam. Concilium GANGRENSE pluribus Canonibus hunc proſcribit errorem, Can. I. „ Si quis vituperat nuptias &c. anathema „ ſit. „ Can. IX. „ Si quis vel virginitatem vel continentiam profeſſus, tanquam „ abominabiles nuptias judicat, & non propter hoc ſolum, quod continentiæ, virginitatisque bonum ſit ſanctumque propoſitum, anathema ſit. „ Can. XIV. „ Si „ qua mulier virum proprium relinquens diſcedere voluerit, nuptias execrans, anathema ſit. „

Prob.

Prob. III. Ratione. & ſimul II. pars. 12
Quod eſt a natura ordinatum, & a Deo inſtitutum ad propagandum genus humanum, quodque etiam in ſtatu innocentiæ fuiſſet neceſſarium, non eſt illicitum; atqui nuptiæ a natura ſunt ordinatæ, a Deo inſtitutæ, & fuiſſent in ſtatu innocentiæ neceſſariæ, *ergo* &c. min. prob. Ipſa enim natura ad ſpeciei ſuæ propagationem inclinat. Deus, ut ratiocinatur CHRISTUS Matth. XIX. „ qui „ fecit hominem ab initio, maſculum & fœ„ minam fecit eos, & dixit: propter hoc „ dimittet homo Patrem & matrem & ad„ hærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne „ una: quod ergo Deus conjunxit, homo „ non ſeparet. „ Nec enim ſine legitimo concubitu procreari, & propagari potuiſſet genus humanum. Imo præceptum erat primis parentibus conjugium: *Creſcite & multiplicamini, & replete terram.* Gen. I. Atqui quod malum eſt, a Deo præcipi nequit. Denique ratio adverſariorum, tanquam membra generationi apta fuiſſent a principio malo procreata, jam refutata fuit in Prælect. *de Deo creatore.*

OBJIC. I. Quod conceditur ſecundum 13
indulgentiam, non ſecundum imperium, illud non eſt honeſtum; quia indulgentia ſupponit culpam. Atqui PAULUS I. Corinth. VII. matrimonium ita concedit. *ergo* &c.

II. Quod non poteſt eſſe absque libidine, eſt peccatum. Atqui matrimonium non poteſt eſſe absque libidine, *ergo* &c.

 III. Li-

III. Libido plerumque magis laceſſit conjugatos. Ergo nuptiæ ſunt cauſa libidinis.

IV. Fons originalis peccati malus eſt: atqui originale peccatum ex nuptiis ſuam trahit originem, & ex his propagatur, *ergo* &c.

V. Apoſtolus ait Cor. VII. *melius eſt nubere, quam uri:* ergo ſolum eſt minus malum, non autem abſolute bonum. Sic ut ait TERTULLIANUS lib. de exhortat. Caſtit. cap. IV. *melius eſt uno oculo, quam duobus carere: nec tamen uno carere bonum eſt.*

VI. Nuptiæ petebant purificationem in L. V. atqui non debet purificari, niſi quod malum erat. *ergo* &c.

VII. PAULUS ad Galat. VI. *qui ſeminat in carne, de carne metet corruptionem.* Atqui in carne ſeminant conjuges, *ergo* &c.

VIII. Quod impedit a myſtica cæna Patrisfamilias ſeu regno cœlorum, malum eſt: atqui nuptiæ impediunt, juxta parabolam Luc. XIV. *uxorem duxi, & ideo non poſſum venire*, *ergo* &c.

RESP. ad I. Per indulgentiam intelligi permiſſionem, conceſſionem, non autem remiſſionem culpæ, quæ nulla eſt in legitimo matrimonii uſu. Voluit PAULUS ſolum præoccupare, ſe nuptias non abſolute præcipere, ſed tantum permittere. Si autem *indulgentia* hic ſonaret condonationem, ſupponeret

ret inordinatum conjugum uſum, & peccatum ſaltem veniale, ſi nimirum ob meram voluptatem concubuerint.

Resp. ad II. nego *min.* Poteſt enim matrimonium conſiſtere ſine ejus uſu, & actu conjugali, *diſting.* etiam *maj.* quod non poteſt eſſe absque libidine, *dominante*, *conc.* *ſerviente*, nego. Libido concomitans, & rationi, quæ ſolam procreationem, non autem voluptatem intendit, ſubordinata, non eſt illicita, ſed tunc ſolum, quando primario intenditur.

Resp. ad III. Diſtinguo *antec.* & hoc ex vitio conjugum, *conc.* ex vitio nuptiarum, nego.

Resp. ad IV. nego *min.* Non enim nuptiæ ſunt cauſa originalis peccati, utpote quæ jam exiſtebant ante peccatum, & in ſtatu innocentiæ perduraſſent. Nunc quidem conjuges peccatum originale carnali generatione propagant, dum ſemini in Adamo vitiato non debetur originalis juſtitia. Cæterum anima creatur a Deo, quæ labem contrahit ex eo, quod jungatur fœtui ab Adamo deſcendenti: in quo tanquam primo parente peccaverat omne genus humanum, in ejus lumbis ſeminaliter exiſtens, & jus ad originalem innocentiam amiſit. vid. dicta de peccato originali.

Resp. ad V. Paulus vult, quod nuptiæ, cum continentia comparatæ, non quidem malæ ſint; ſed minus bonum. Ter-

TULLIANUS Montaniſta hoc textu abuſus fuit ad proſcribendas ſecundas nuptias; primas enim ipſe defendit contra Marcionem.

RESP. ad VI. *diſting. maj.* Petebant purificationem, propter immunditiam *legalem*, conc. *moralem*, nego. Sic, qui mortuum ſepeliebat, purgari debuerat, quin tamen ſepultura mortui ſit peccatum.

RESP. ad VII. Non loquitur ibi PAULUS de nuptiis, ſed de operibus peccaminoſis; ait enim: *qui ſeminat in carne* SUA. Utique nemo ſecum ipſo concumbit, ut S. HIERONYMUS ratiocinatur adverſus Tatianum comment. in loc. objectum.

RESP. ad VIII. *Diſt.* quod impedit *per ſe*, *conc.* quod tantum per *accidens* & propter rei bonæ uſum non bonum, nego,

14 RESOLUTIO II. Nuptiæ toti generi humano præceptæ ſunt, nimirum ut aliqui ſint, qui genus humanum propagent: aucto jam autem humano genere nubere vel continere per ſe loquendo cuilibet liberum eſt.

Ima pars jam conſtat ex dictis. II. PROBATUR. CHRISTUS Matth. XIX. laudat virginitatem, tanquam ſingulare Dei donum: „ Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed „ quibus datum eſt: ſunt Evnuchi, qui ſe i„ pſos caſtraverunt propter regnum cœlo„ rum. Qui poteſt capere capiat. „ PAULUS continentiam non præcipit quidem, ſed tamen ſuadet, & nuptiis præfert. „ De vir-

„ virginibus ait I. Cor. VII. præceptum Do-
„ mini non habeo, conſilium autem do - - -
„ beatior autem erit ſi ſic permanſerit ſecun-
„ dum meum conſilium. Puto autem quod
„ & ego ſpiritum Dei habeam. „ Et ibi-
dem: „ Dico autem non nuptis & viduis:
„ bonum eſt illis, ſi ſic permaneant, ſicut
„ & ego. „ Hinc cœlibem vitam elegerunt
plures viri ſanctiſſimi. S. JOANNES baptiſta,
CHRISTUS ipſe, & virgo beatiſſima. Hinc
TRIDENTINUM Seſſ. XXIV. Can. X. „ Si
„ quis dixerit, ſtatum conjugalem antepo-
„ nendum eſſe ſtatui virginitatis, vel cœli-
„ batus, & non eſſe melius ac beatius ma-
„ nere in virginitate aut cælibatu, quam
„ jungi matrimonio, anathema ſit. „

§. III.

De Polygamia ſimultanea.

P*olygamia* ſuo nomine dicit pluralitatem u- 15
xorum, & opponitur unitati matrimonii.
Illa vero pluralitas vel eſt *ſimultanea*, dum
quis plures ſtante eodem matrimonio ducit
uxores: aut *ſucceſſiva*, quando priore defun-
cta ducit alteram, & ita porro. Trahi huc
etiam poteſt illa quæſtio, I. ſæculo Chriſti a-
gitata, an mulieres extra matrimonium poſ-
ſint eſſe communes, omniumque uſui expo-
ſitæ, quæ hæreſis erat Nicolaitarum. Du-
bitatur autem, an ille, qui hæreſi nomen &
initium dedit, fuerit NICOLAUS e numero

ſeptem Diaconorum: an aliquis alius: quam controverſiam criticam hic non vacat excutere: legi autem poſt alios poteſt apud SANDINI. Si una uxor pluribus ſimul viris nuberet, dicitur *polyandria*, quæ quidem juri naturæ certe contraria eſt; impedit enim bonum prolis, & generationem: eoquod experientia conſtet, meretrices, quæ pluribus miſcentur, paſſim eſſe infæcundas. Adverſatur etiam fini ſecundario matrimonii, nempe educationi prolis, quia incertum reddit parentem, qui poſt lactationem prolem alere debet. De Polygamia ſucceſſiva, ſeu ſecundis nuptiis dicam §. ſequenti. De Polygamia ſimultanea, cujus author fuit LAMECH, quæritur, an juri naturæ, aut ſolum legi poſitivæ adverſetur. CALVINUS *aſſeruit*, eam juri naturali ita adverſari, ut Patriarchas legis veteris ejus violati reos pronuntiet: quamvis exiſtimet, adulterii crimen iis a Deo non fuiſſe imputatum, eoquod eſſent prædeſtinati. Econtra LUTHERUS cum pluribus ſectæ ſuæ Theologis eandem permiſit Landgravio Haſſiæ, cujus facti documenta extant tum apud BOSSUETUM in Hiſtoria variationum, JUENINUM de Sacramentis, FLEURIUM Hiſtor. Eccleſ. & continuatorem TOURNELII. Nitebantur autem exemplo veterum Patriarcharum, unde concludebant, Polygamiam juri naturali non repugnare, nec a Chriſto in Lege nova quidpiam fuiſſe immutatum. Catholici etſi in eo omnes conveniant, eam prohibitam eſſe lege poſitiva Evan-

Evangelica, ſunt tamen non nulli, qui defendunt, juri naturali non adverſari. Alii contra jure naturæ interdictam, in hac autem lege cum Patriarchis a Deo fuiſſe diſpenſatum aſſerunt.

Resolutio I. Polygamia ſimultanea 16
jure divino poſitivo interdicta eſt, in quo tamen Deus cum Patriarchis poſt diluvium diſpenſavit.

Prob. I. pars. Deus matrimonii auctor non niſi unam uni marito dedit uxorem, *maſculum & fœminam creavit eos.* Genes. I. 57. & Adam divinitus inſpiratus dixit Genes. II. 23. *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo Patrem ſuum & matrem ſuam, & adhærebit uxori ſuæ & erunt duo in carne una.* Atqui per Polygamiam ſimultaneam non eſſent duo in una carne, ſed unus in carne duplici, imo multiplici. Itaque primævæ & divinæ inſtitutioni uxorum pluralitas repugnat.

II. Polygamiam Lamechi, qui primus accepit uxores duas, Geneſ. IV. 19. uno conſenſu condemnarunt SS. Patres, ut legere eſt apud Natalem Alexandrum diſſertatione de Polygamia Lamechi. Sic Tertullianus lib. de monogamia cap. V. „ Vim „ paſſa eſt inſtitutio Dei per Lamech. & de exhortat. caſtit. cap. 5. „ Numerus matri- „ monii a maledicto viro cæpit. Primus La- „ mech duabus maritatus, tres in unam car- „ nem effecit, „ & S. Hieronymus lib. I.

adversus Jovinian. „ Una costa a principio „ in unam uxorem versa est, & erunt duo „ in carne una, non tres, neque quatuor: „ alioquin non jam duo, sed plures. Pri- „ mus sanguinarius & homicida unam car- „ nem in duas divisit uxores, homicidium „ & bigamiam eadem cataclysmi delevit „ pœna.

17 *Prob. II.* pars, quod Deus in lege veteri cum Patriarchis dispensaverit. Nullo scripturæ textu pluralitas uxorum in Patriarchis damnatur: ergo supponitur, Deum cum illis dispensasse; maxime cum de pluribus uxoribus quædam disponantur, quin ipsa polygamia carpatur. Sic Deuter. XXI. 15. „ Si habuerit homo uxores duas, unam di- „ lectam & alteram odiosam, genuerintque „ ex eo liberos, - - non poterit filium dile- „ ctæ facere primogenitum & præferre filio „ odiosæ. „ Ibidem XXV. statuitur lex, ut superstes frater etiam conjugatus ducere debeat uxorem fratris sui absque liberis defuncti, sicque fratri suo excitare semen, ac stirpem propagare.

18 II. Non est ullo modo probabile, quod viri sanctissimi, Abraham, Isaac, Jacob, David aut divinum mandatum non agnoverint, aut agnitum voluerint violare, aut ob violatum a scriptura reprehensi non fuissent. Sic de David dicit Scriptura, quod fuerit cor ejus perfectum cum Domino Deo suo, & fecerit rectum in oculis ejus, & non declinasset

ſet ab omnibus, quæ præceperat ei cunctis diebus vitæ ſuæ, excepto ſermone Uriæ hethæi: id eſt adulterio & homicidio III. Regum XV. atqui Davidem plures habuiſſe uxores certum eſt. Immo Deus Davidi imputat, quod cum uxoribus etiam illuſtribus, quas ei dederat, non contentus, Betſabeam duxerit. II. Reg. XII. Dedi tibi domum Domini tui, & uxores Domini tui in ſinu tuo. ergo &c.

III. Mulieres poſt primam ductæ ab ipſa 19
ſcriptura vocantur *uxores:* ſic Gen. XXV. Abraham vero aliam duxit *uxorem* nomine Cethuram. Item de Salomone III. Reg. XI. fuerunt ei *uxores* quaſi Reginæ ſeptingentæ, & concubinæ trecentæ. De Joas Rege Juda, qui II. Paralipom. XXIV. 2. commendatur, quod fecerit bonum coram Domino cunctis diebus Jojadæ ſacerdotis, dicitur tamen ibidem: „ accepit autem ei Jojada u„ xores duas, e quibus genuit filios & fi„ lias. „ Atqui non eſt vero ſimile, quod ipſe Sacerdos vir juſtus, Regi occaſionem prævaricandi tribuere voluerit. Ergo uterque exiſtimavit, Polygamiam tunc fuiſſe permiſſam.

IV. Ita quoque cenſuerunt SS. Patres. 20
Joannes CHRYSOSTOMUS homil. 56. in Geneſ. „ Audiens, inquit, Jacob accepiſſe ma„ jorem natu, & poſtea minorem, ne tur„ beris, neque ſecundum ſtatum qui nunc „ eſt. opera quæ tunc facta ſunt judices:

„ tunc

„ tunc enim quia principia erant, permiſ-
„ ſum fuit cum duabus vel tribus, vel pluri-
„ bus miſceri, ut humanum genus propa-
„ garetur. Nunc vero quia per Dei gratiam
„ humanum genus valde multiplicatum eſt,
„ adveniens Chriſtus - - - omnem illam
„ veterem conſuetudinem delevit. „ Innocentius III. cap. *gaudemus*. de divortiis.
„ Nec ulli unquam licuit ſimul plures uxo-
„ res habere, niſi cui fuit divina diſpenſa-
„ tione conceſſum - - - per quam ſicut Ja-
„ cob a mendacio, Iſraelitæ a furto, Sam-
„ ſon ab homicidio, ſic & Patriarchæ & a-
„ lii viri Juſti, qui plures leguntur ſimul ha-
„ buiſſe uxores, ab adulterio excuſantur. „ *ergo* &c.

21. Objic. contra II. partem. Patriarchæ T.V. cum quibus diſpenſatum fuiſſe dicitur, non habebant plures uxores, ſed unam legitimam: reliquæ concubinarum loco erant, ut colligitur ex illo Geneſ. XXI. ubi narratur, quod Sara videns filium ſuum Iſaac vexatum ab Iſmael filio Agar ancillæ, dixerit ad Abraham: „ Ejice *ancillam* hanc, & fi-
„ lium ejus: non enim erit hæres filius an-
„ cillæ cum filio meo Iſaac. „ Et Geneſ. XXV. poſtquam Moyſes commemoravit, quod Abraham aliam duxit uxorem, nomine Ceturam, addit: „ Dedit Abraham cun-
„ cta, quæ poſſederat, Iſaac: filiis autem
„ *concubinarum* largitus eſt munera, & ſe-
„ paravit eos a filio ſuo Iſaac. „ ergo.

II. Ju-

II. Judæi ut indicarent, ſe ex Sara legitima uxore Abrahæ, non autem ex Agar deſcendere, dixerunt Joan. VIII. 41. *Nos ex fornicatione non ſumus nati.* Ergo agnoverunt, e fornicario & adulterino Abrahæ cum Agar conſortio Iſmaelis poſteros deſcendere.

Resp. ad I. Nego *anteced.* Omnes enim erant uxores, quo nomine etiam S. Scriptura eas adpellat, diſpari tamen ſorte, ita ut una ſolum ad regimen familiæ, & communionem bonorum admiſſa fuerit, ejusque proles in jura Patris ſuccederent, reliquæ ad uſum conjugii & familiæ multiplicationem ſervirent, earumque filii matris plerumque conditionem ſequerentur, quemadmodum & hodie non infrequenter contingit in matrimoniis illuſtrium ad morgenaticam contractis, e quibus filii naſcuntur legitimi, neque tamen jura paterna conſequuntur, ne prolium prioris matrimonii opes diminuantur, aut familiæ ſplendor decreſcat.

Resp. ad II. Judæi ad Chriſti increpationem volebant ſe excuſare, & juſtificare, quod non eſſent idololatræ, vel ſpurii etiam ſecundum ſpiritum, ſed ſicut carnalem Patrem unicum & legitimum habuiſſent Abrahamum, ita & ſpiritualem agnoſcerent ſolum Deum. Itaque per fornicationem hic intelligitur idololatria, quæ eſt ſpiritualis fornicatio.

Objic. II. Si Polygamia olim per di- 22
ſpenſationem permiſſa fuit, tunc illa diſpen-

ſatio

ſatio facta fuit vel cum ſola gente Judaica, vel cum reliquis etiam gentibus. Neutrum admittendum videtur: ergo magis dicendum eſt, nullam interveniſſe diſpenſationem, ſed vel polygamiam non fuiſſe prohibitam, vel Patriarchas legem divinam prævaricatos fuiſſe. *min.* prob. Non poteſt dici primum. I. Ratio enim, quæ profertur pro gente *electa*, hæc fuiſſet, ut per polygamiam multiplicaretur genus humanum: atqui hæc parum probat; nam ſi ideo diſpenſandum fuit, tunc jam in prima mundi creatione debuiſſent Adamo plures concedi uxores, 2. aut Lamech a crimine excuſandus eſſet, 3. aut ob eandem rationem etiam reliquis extra gentem Judaicam populis pluralitas uxorum permitti debuit; quia ſic quoque multiplicatum fuiſſet genus humanum.

II. Neque ratio eſſe potuit, ut per Judæos multiplicaretur populus fidelis, & cultus divinus propagaretur; nam Mardochæus vir religioſus virginem Eſther, pariter religioſam, Regi aſſuero idolorum cultui dedito poſt repudiatam reginam Vaſthi in uxorem conceſſit: e quo tamen conjugio non poterat ſperari multiplicatio populi fidelis; quia proles ex Eſthere prognatæ haud dubie in infidelitate educatæ fuiſſent: ergo Mardochæus applaudente tota gente Judaica exiſtimavit, polygamiam non Judæis ſolum, ſed cunctis gentibus eſſe permiſſam.

Non

Non poteſt dici alterum. Quia 1. ſi di- 23
ſpenſatio hæc extenſa fuit ad omnes gentes,
tunc non tam diſpenſatio, quam totalis ab-
rogatio legis dici debet. 2. Si omnibus
gentibus olim permiſſa fuit uxorum plurali-
tas, tunc & hodie illis, qui Chriſti lege po-
ſitiva non obligantur, licita eſt, & ejusmo-
di gentilis, qui plures uxores duxit, ad fi-
dem converſus, eas ſimul retinere poſſet,
quod falſum eſt ex capit. *gaudemus* de divor-
tio, ubi non niſi prima legitime ducta eidem
permittitur. *ergo* &c.

Rerpond. In diverſa hic abeunt Theolo-
gi, & difficile eſt alterutram opinionem eli-
gere. Videtur tamen præferenda altera,
cui adſtipulatur Bellarminus.

Itaque ad argumentum ordine reſpon-
deo, nego *min.* & dico, diſpenſatum fuiſſe
cum omnibus gentibus. Nam Abimelech,
qui Saram ſibi uxorem adjunxit, non ideo
reprehenſus fuit, quod aliam ſuperinduxe-
rit, ſed quod eam, quæ Abrahæ nupta e-
rat, ſibi copulaverit. Geneſ. XX. Eſau plu-
res accepit uxores, non ideo tamen repre-
henſus.

Ratio autem hujus diſpenſationis quan-
tum ad Patriarchas fuit multiplicatio populi
fidelis. Ratio vero, ut etiam ad cæteras
gentes extenderetur diſpenſatio, hæc, quan-
tum nobis concipere fas eſt, eſſe potuit, ut
per illas quoque homines multiplicarentur,
ad Chriſti Eccleſiam quondam vocandi.

Ideo

Ideo autem ante diluvium dispensatio admitti non debet, quia cum valde longæva fuerit hominum ætas, majorque fœcunditas, facilius propagari potuit, quam postea, imminuta hominum vita, fractisque eorum viribus, & subsecuta non raro uxorum sterilitate.

24 Ad primam in contrarium rationem dico, medio illo temporis a diluvio ad Christum usque intervallo legis obligationem suspensam fuisse, donec per Christum denuo revixit, matrimonii unitate ad primævam institutionem revocata.

Ad 2. Nego sequelam; Christus enim non novam legem sancivit, sed pristinum mandatum instauravit. Quemadmodum ergo ante dispensationem omnibus omnino interdicta erat uxorum pluralitas, ita nunc omnibus prohibita est, dispensatione sublata. Etiamsi autem gentiles Ecclesiasticis legibus non teneantur, eoquod in eos, qui foris sunt, nulla Ecclesiæ jurisdictio competat, obligantur tamen ad præcepta divina positiva, ad fidem in Christum, ad recipiendum baptismum, & ad matrimonium secundum primævam institutionem contrahendum.

25 Resolutio II. Polygamia simultanea de novo per Christum omnibus interdicta fuit.

Prob. I. Christus a Pharisæis interrogatus, si licet dimittere uxorem suam quacunque ex causa? respondit Matth. XIX. 3. nec

fas

fas esse legitimam dimittere dato repudii libello, nec aliam priore vivente ducere. „ Non legistis, inquit, quia qui fecit homi„ nem ab initio, masculum & fœminam fe„ cit eos? & dixit, propter hoc dimittet „ homo Patrem & matrem, & adhærebit „ uxori suæ, & erunt duo in carne una. „ Itaque jam non sunt duo, sed una caro. „ Quod ergo Deus conjunxit, homo non se„ paret. „ Atqui Deus non nisi duos conjunxit. Ergo & Christus non nisi duos conjungi voluit, aut jungi posse declaravit. Marci X. „ Quicunque dimiserit uxorem „ suam, & aliam duxerit, adulterium com„ mittit super eam. „ Ergo jam non amplius permissa est mulierum pluralitas, & qui secundam accipit, adulterii crimen committit. De eadem uxoris unitate loquitur Paulus I. Cor. VII. ubi non nisi per mortem vinculum dissolvi docet.

Prob. II. Traditione SS. PP. Qui ma- 26
trimonium cum alia, priore vivente uxore legitima, contractum, adulterium esse conclamant. Sic Ambrosius lib. I. de Abraham cap. 7. „ Non licet tibi, uxore viven„ te, ducere aliam; nam & aliam quære„ re, cum habeas tuam, crimen est adul„ terii. „ S. Augustinus lib. I. de Nupt. & concupisc. cap. 10. „ In Ecclesia Christi „ nec sterilem etiam conjugem fas est relin„ quere, ut alia fœcunda ducatur. Quod „ si quisquam fecerit, lege Evangelii reus

„ est adulterii. „ INNOCENTIUS I. epist. ad Exuperium cap. 6. e præmissis Christi verbis deducit, „ Eos, qui interveniente repu-„ dio, vel uxore vivente, quamvis dissocia-„ tum videatur esse conjugium, alii se ma-„ trimonio copularunt, adulteros esse. „ Ideo & Concilium TRIDENTINUM Sess. XXIV. can. 2. definit: „ Si quis dixerit, licere Chri-„ stianis plures simul habere uxores, & hoc „ nulla lege divina esse prohibitum, anathe-„ ma sit. „

27 Ratio autem, quod ista prohibitio etiam ad gentiles extra Ecclesiam se extendat, hæc est; quia Christus generaliter dixit: Quicunque aliam duxerit, adulterium committit. Quemadmodum ergo nulli ante diluvium plures licuit habere uxores, ita nec post Christi adventum, quo illa primæ legis suspensio sublata fuit. Et quando Christus Matth. ult. Apostolos in mundum universum misit, ut docerent omnes gentes, baptizantes eos, docentes eos servare omnia, quæcunque mandaverat ipsis, omnes positivo præcepto ad legem Christianam, cunctaque ejus mandata obligavit, quæ inter comprehenditur etiam illud de unitate uxoris. Sicut ergo gentilibus non licet Baptismum respuere, ita non licet plures uxores simul conjugali thoro sibi sociare.

28 OBJIC. Valentinus Imperator legem tulit, ut cuicunque volenti liceret duas habere uxores legitimas, eamque in singulis civita-

vitatibus divulgavit, ut teſtatur Socrates Hiſt. Eccleſ. IV. 26. neque eam legem Eccleſia improbavit. *ergo* &c.

Resp. Si vera ſcribit Socrates, quod negant communiter eruditi propter aliorum auctorum ſilentium, invalida fuit illa conſtitutio; aut forte de impunitate, ſeu immunitate a pœnis, per leges etiam civiles in adulteros ſtatutis, exponi poterit. Certe autem Epiſcopi illam, ſi exſtitiſſet, legem Evangelio tantopere adverſam ſuis ſcriptis aut ſynodalibus ſanctionibus impugnaſſent.

Resolutio III. Polygamia ſimultanea 29
non quidem primario, ſed ſecundariis matrimonii finibus repugnare videtur. Ita S. Thomas in IV. Sent. Diſt. XXXIII. Art. I. cujus hæc verba ſunt. „ Matrimonium habet pro fine principali prolis procreatio-
„ nem & educationem - - - & ſic bonum
„ matrimonii aſſignatur *proles*. Sed pro fi-
„ ne ſecundario, ut dicit Philoſophus, ha-
„ bet ſolum communicationem operum, quæ
„ ſunt neceſſaria in vita. Et ſecundum hoc
„ *fidem* ſibi invicem debent, quæ eſt unum
„ de bonis matrimonii. Habet ulterius a-
„ lium finem, in quantum in fidelibus eſt,
„ ſcilicet ſignificationem Chriſti & Eccleſiæ;
„ & ſic bonum matrimonii dicitur Sacramen-
„ tum - - - Pluralitas ergo uxorum neque
„ totaliter tollit, neque aliqualiter impedit
„ primum finem, cum unus vir ſufficiat
„ pluribus uxoribus fœcundandis, & edu-

 „ can-

„ candis filiis ex eis natis. Sed ſecundum fi-
„ nem etſi non totaliter tollat, tamen mul-
„ tum impedit, eoquod non facile poteſt eſ-
„ ſe pax in familia, ubi uni viro plures u-
„ xores junguntur, cum non poſſit unus vir
„ ſufficere ad ſatisfaciendum pluribus uxori-
„ bus ad votum: & quia communicatio plu-
„ rium in uno officio cauſat litem. - - - Ter-
„ tium autem finem totaliter tollit; eoquod
„ ſicut Chriſtus eſt unus, ita Eccleſia una:
„ & ideo patet ex dictis, quod pluralitas u-
„ xorum quodam modo eſt contra legem na-
„ turæ, & quodam modo non. „

30 *Prob. I.* pars. Quod juri naturæ quoad finem ejus principalem repugnat, in eo nulla ne per Deum quidem facta diſpenſatio locum habere poteſt; quia ſi eſt *poſitivum* præceptum, tunc continet intrinſecam honeſtatem, quam Deus tollere nequit: & ita in obligatione Deum ſuper omnia amandi nullus diſpenſare valet. Aut ſi præceptum *negativum* eſt, tunc intrinſeca malitia & cum divinis perfectionibus repugnantia neceſſario prohibetur, & nulla diſpenſatione cohoneſtari poteſt, ut patet in odio Dei, blaſphemia, mendacio &c. atqui in præcepto polygamiam prohibente Deus cum Patriarchis diſpenſavit. Ergo uxorum pluralitas juri naturæ quoad finem principalem matrimonii non repugnat.

Prob. II. Finis matrimonii, ut *ordinarie* contrahitur, primarius eſt animorum con-

conjunctio, prolis procreatio, & congrua educatio. Atqui hic finis etiam in polygamia abſolute obtineri poteſt. *ergo. min. prob.* non repugnat, ut maritus cum duabus uxoribus morigeris conjungatur, illæque inter ſe pacifice cohabitent, aut ſi una rixoſa ſit, familiæ ſeparentur, cui utrique moderandæ vir ceu caput præſit, & diverſo tempore debitum utrique reddat, ſic autem & proles procreabuntur, & utriusque uxoris liberi congrue educabuntur; ita enim in ſanctis familiis Patriarcharum contigit, & abſolute loquendo adhuc contingere poteſt, & forte apud turcas, aliosque populos orientales contingit.

Prob. pars altera. Finis ſecundarius 32 matrimonii eſt individua & pacifica conjugum cohabitatio mutuumque ſubſidium. Atqui hic difficillime obtinetur aut conſervatur, quia inter plures uxores, quarum una præ reliquis magis forte placet marito, frequens oritur occaſio Zelotipiæ, rixarum &c. quæ pacem familiæ turbant, ipſique liberorum educationi præjudicat, ut probant exempla Saræ & Agar Geneſ. XXI. Liæ & Rachelis Geneſ. XXV. Annæ & Phennenæ I. Regum I. *ergo* &c.

Objic. I. Deus ut auctor legis naturæ 33 matrimonium ita inſtituit, ut non niſi duo eſſent in una carne. Ergo uxorum pluralitas juri naturæ & primævæ inſtitutioni adverſatur.

Resp. *Dist.* Deus ita matrimonium instituit, quoad omnes fines consideratum, qui perfectius & facilius obtinentur inter duos, *conc.* ita instituit, quasi cum pluribus uxoribus finis saltem primarius absolute obtineri non posset, & polygamia essentiæ matrimonii & juri naturæ omnino repugnaret, *nego.* secus enim Deus eam Patriarchis permittere non potuisset, quia legem naturæ mutare nequit. Ita fere S. Thomas loc. cit. ad 6. Dicendum, quod natura humana absque omni defectu instituta est: & ideo non solum sunt ei indita illa, sine quibus principalis matrimonii finis esse non potest, sed etiam illa, sine quibus secundarius finis matrimonii sine difficultate haberi non posset: & hoc modo sufficit homini in ipsa sui institutione habere unam uxorem. „ Adeoque monogomia juri naturæ perfecte conformis est, polygamia vero non eidem essentialiter adversa.

34 Objic. II. Finis principalis matrimonii non est conjunctio corporum, in ordine ad generandas proles. Sed conjunctio animorum, secundum dicta supra num. 4. seq. atqui animorum conjunctioni vehementer obstat uxorum pluralitas, quia fieri vix potest, ut vir non magis ad unam, quam alteram sit affectus: unde dissensiones inter conjuges oriuntur. *ergo* &c.

Resp. *dist. min.* Unioni animorum vehementer obstat polygamia, ita ut difficilius con-

conſervetur, *conc.* ut abſolute haberi nequeat, *nego.* ſi enim uxores non ſub eodem tecto cohabitent, ſed per familias ſeparatæ degant, non tanta erit diſſenſionum occaſio, & vir per vices utrique fidem conjugalem ſervare poterit. Quamvis autem eſſentia matrimonii non in corporum, ſed animorum conjunctione conſiſtat, *ordinarie* tamen ceu finis primarius prolium generatio intenditur, & ideo num. 31. dixi, finem matrimonii, ut *ordinarie* contrahitur, primarium tria involvere, id eſt, præter animorum conjunctionem, etiam liberorum procreationem, & educationem; rarius enim cum pacto perpetuæ continentiæ initur, etſi ita iniri valeat.

Objic. III. In contractu de jure natu- 35
ræ ſervanda eſt reciproca æqualitas: atqui in matrimonio cum pluribus uxoribus non ſervatur æqualitas. Ergo juri naturæ repugnat. *min. prob.* prima uxor totam ſe tradit marito, & uſum ſui corporis alteri jam præbere non licet, quia ut loquitur Paulus I. Corinth. VII. mulier corporis ſui poteſtatem non habet, ſed vir. Econtra maritus non totum ſe tradit primæ uxori, ſed aliis quoque ſuperinductis: cum tamen eodem Paulo volente, ſimiliter vir corporis ſui poteſtatem non habeat, ſed mulier. *ergo.*

Confirmatur. Repugnat etiam illi naturæ principio: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Atqui maritus non vult, ut ſua

uxor alteri commiſceatur. Ergo nec ille cum altera quam prima ſe commiſcere debet.

Respond. ad I. *diſt. maj.* Requiritur reciproca æqualitas omnimoda, *nego.* talis, quæ ſufficit ad obtinendum finem intentum, & uxori tribuatur quod ſuum eſt, *conc.* & ſic *diſt. min.* nego *conſeq.* ad *prob.* dico, quod vir totum ſe tradat cuilibet uxori, quantum ſufficit ad earum fœcunditatem, ſuſtentationem, aliaque officia conjugalia. Quia ergo vir pluribus fœcundandis & ſuſtentandis ſufficit, ideo de jure naturæ neceſſe non eſt, ut uni ſe totum tradat, cum excluſione alterius, quia finis matrimonii primarius prolium generatio adhuc obtineri poteſt. Mulier vero uni viro ſe totam tradere debet, quia ſi plures admitteret, ipſa generatio impediretur, aut proles naſcerentur incertæ. S. Paulus autem loquitur de matrimonio ſecundum primævam inſtitutionem a Chriſto confirmatam conſiderato, in quo propter ſignificationem unionis Chriſti cum Eccleſia non niſi duo in carne una admittuntur.

Resp. ad *confirm.* cum S. Thoma loc. cit. ad 8. „ dicendum, quod illud præceptum legis naturæ, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, debet intelligi eadem proportione ſervata. Non enim ſi Prælatus non vult ſibi reſiſti a ſubdito, ipſe ſubdito reſiſtere non debet. Et ideo non oportet ex vi illius præcepti, quod ſi vir non vult, quod uxor ſua habeat alium virum, ipſe non habeat

beat aliam uxorem; quia unum virum habere plures uxores non eſt contra prima præcepta legis naturæ, ſed unam uxorem habere plures viros, eſt contra prima præcepta legis naturæ, eoquod per hoc quantum ad aliquid impeditur bonum prolis, quod eſt principalis matrimonii finis. In bono autem prolis intelligitur non ſolum procreatio, ſed etiam educatio. Ipſa enim procreatio prolis, etſi non totaliter tollatur, quia contingit poſt impraegnationem primam iterum mulierem impraegnari, tamen multum impeditur, quia vix accidere poteſt, quin corruptio accidat quantum ad utrumque fœtum, vel quantum ad alterum. Sed educatio totaliter tollitur, quia ex hoc, quod una mulier plures maritos haberet, ſequeretur incertitudo prolis reſpectu Patris, cujus cura neceſſaria eſt in educando: & ideo nulla lege aut conſuetudine eſt permiſſum, unam uxorem habere plures maritos, ſicut e converſo.

Objic. IV. Contra legem naturæ eſt, 36
quod homo ſe ad impoſſibile obliget, & ut quod uni datum eſt, alteri detur. Sed vir contrahens cum una uxore ſui corporis poteſtatem ei tradit, ut neceſſe ſit reddere debitum cum petierit. Ergo contra legem naturæ eſt, ſi poſtea alteri poteſtatem ſui corporis tradat; quia non poſſet ſimul utrique reddere debitum, ſi ſimul peterent.

Respondet sibi ipsi S. Thomas ad 7. dicendum, quod vir per matrimonium non dat sui corporis potestatem uxori quantum ad omnia, sed solum quantum ad illa, quae matrimonium requirit. Non autem requirit matrimonium, ut quolibet tempore uxori petenti vir debitum reddat, nisi quantum ad id quod principaliter est institutum, *scilicet* bonum prolis, & quantum sufficit ad impraegnationem. Requirit autem hoc matrimonium, in quantum est ad remedium institutum, quod est secundarius ipsius finis, ut quolibet tempore petenti debitum reddatur. Et sic patet, quod accipiens plures uxores non se obligat ad impossibile, considerato fine principali matrimonii &c. Haec S. Th. sed etiam in monogamia vir non omni tempore debitum reddere debet, aut uxor postulare potest, v. g. si maritus legitime absens, impeditus, aut infirmus sit, nec tamen inde sequitur legitimum non esse contractum. Ergo licet pluribus uxoribus simul ac semel debitum reddere non possit, quod etiam simul contra rationem peterent uxores, omnibus tamen suo tempore satisfacere potest.

37 Resolutio IV. Nullo jure permissus est promiscuus cum mulieribus concubitus, seu damnata est mulierum communitas.

Prob. I. Iis omnibus argumentis, quae fornicationem & adulterium prohibitum docent. II. Ex iis Patribus, qui apologias pro

pro Religione Chriſtiana ſcripſerunt; refutant enim calumniam occaſione quorumdam hæreticorum in Chriſtianos a gentilibus effuſam, tanquam Chriſtiani in ſuis cætibus vagæ libidini indulgerent. vid. JUSTINUS M. apolog. I. TERTULLIANUS in apologet. ARNOBIUS, MINUTIUS felix, ATHENOGORAS & alii. Denique hoc conſtat ex ſeveris Eccleſiæ legibus, quæ mæchos graviſſimis pœnitentiæ ſubjecit exercitiis, & quandoque etiam in fine vitæ communionem denegavit. vid. Concil. ILLIBERITANUM Can. III. & Can. VII.

OBJIC. I. Fornicatio nulli infert injuriam. Ergo eſt licita. 38

II. CLEMENS Romanus Epiſt. V. ad Jacob fratrem Domini ſcribit. „ Communis „ uſus omnium, quæ ſunt in hoc mundo, „ omnibus eſſe hominibus debuit, ſed per „ iniquitatem alius hoc ſuum dicit eſſe, & „ alius illud, & ſic inter mortales diviſio „ facta eſt. Denique Græcorum quidam „ ſapientiſſimus hæc ita ſciens eſſe, ait, „ communia debere eſſe amicorum omnia: „ in omnibus autem ſunt ſine dubio & con„ juges: & ſicut non poteſt dividi aer, ne„ que ſplendor ſolis; ita nec reliqua, quæ „ communiter data ſunt omnibus ad haben„ dum, dividi debere, ſed habenda eſſe „ communia. „ *ergo* &c.

III. Concil. TOLETANUM I. Can. XVII. „ Si quis habens uxorem fidelis concubinam habeat,

„ habeat, non communicet. Cæterum is,
„ qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet, a communione non repellatur; tantum ut unius mulieris, aut uxoris, aut concubinæ, ut ei placuerit, *sit* conjunctione contentus. „ ergo &c. vid. etiam can. *Christiano* Dist. IV.

IV. Uxor consentiente marito usum corporis alteri locare potest. Ergo Nicolaitarum secta non est reprobanda. *antec. prob.* ex AUGUSTINO Lib. I. de serm. Domini in monte cap. XVI. ubi ejusmodi factum narrat, nec tamen improbat, sed ait, *liceat cuique æstimare, quod velit.*

RESP. ad I. nego *antec.* Infert enim injuriam proli nasciturae ob incertam & periculosam educationem.

RESP. ad II. Epistola illa Clementi Romano supposita est. Auctor, quisquis fuerit, sine approbatione solum historice refert sententiam Platonis, quam fingit a Faustino Clementis Patre, adhuc Ethnico, cum Petro disputante fuisse propugnatam. Cæterum CLEMENS Alexandrinus Lib. III. stromat. testatur, Platonem male fuisse intellectum, ut qui diceret, eas quidem, quæ nondum nupserant, esse communes eorum, qui essent petituri, quemadmodum Theatrum quoque est commune spectatorum. Denique notant correctores Romani in cap. dilectissimi Caus. XII. q. I. hæc verba: *in omnibus autem sine dubio sunt etiam conjuges*, non legi

gi in Epiſtola illa, quæ MS. extat in Bibliotheca vaticana.

Resp. ad III. Erant olim duplicis generis *concubinæ:* quædam ad tempus adhibitæ, quarum uſus inter Chriſtianos ſemper turpis judicatus fuit; quædam vero legitime ductæ, ſine ſolennitate tamen tabularum dotalium, ad quod requirebantur tria. 1. Ut uterque eſſet ſolutus. 2. Promiſſio ſeu fides mutua. 3. Perpetua conjunctio usque ad mortem, ſeu indiſſolubilitas quoad vinculum, uti fit hodie in matrimoniis conſcientiæ, de quibus jam egi ſupra. De his poſterioribus concubinis, quæ erant veræ uxores, exceptis tantum effectibus civilibus, loquitur citatus Canon, & Gratianus.

Resp. ad IV. nego *antec.* S. Augustinus non dubitat de illicita ejusmodi conjunctione, ſed crimen adulterii ob conſenſum mariti, & piam illo in caſu uxoris intentionem excuſat, ſaltem a pœnis civilibus: forte etiam dubitat, nec examinat veritatem hiſtoriæ, non autem facti honeſtatem affirmat; ait enim: *Nihil hic in alteram partem diſputo, liceat cuique æſtimare, quod velit. Non enim de divinis auctoritatibus deprompta hiſtoria eſt.*

§. IV.

§. IV.

De Polygamia successiva.

39 Secundas, ulterioresque nuptias pro fornicationibus adulteriisque habuit MONTANUS, qui & ideo, Apostolum Paulum eas permisisse dixit, quia ex parte sciebat, & ex parte Prophetabat, nondum enim venerat, quod perfectum est, hoc autem *perfectum*, sive Paracletum, in Montanum, & ejus Prophetissas venisse, ut scribit S. AUGUSTINUS. Hunc errorem postea amplexus fuit TERTULLIANUS, & geminis libris, nempe de monogamia & exhortatione castitatis acerrime propugnavit; non desuerunt quidam e SS. Patribus, qui durius non nihil de secundis, ulterioribusque nuptiis loqui videntur, maxime, quando ad continentiam hortantur viduas, aut earum castitatem contra JOVINIANUM vindicant, de quibus dici illud potest, quod THEODORETUS scripsit in dialogo *impatibilis:* „ vehemens cum adversariis contentio fecit, ut modum excederent. Hoc „ & iis, qui arbores colunt, evenire solet; „ cum enim incurvam plantam viderint, „ non solum ad rectam normam erigunt, „ sed in alteram quoque partem ultra directum inflectunt, ut per nimiam in contrarium inclinationem ad rectum statum perducatur. „ Hæc pro objectionibus solvendis observare placuit.

Resolutio I. Nec irritæ nec *per ſe* illicitæ ſunt ſecundæ nuptiæ, ſeu Polygamia ſucceſſiva. 40

Prob. I. claro textu S. Pauli Rom. VII. „ Quæ ſub viro eſt mulier, vivente viro al„ ligata eſt legi. Si autem mortuus fuerit „ vir ejus, liberata eſt a lege viri. Igitur „ vivente viro vocabitur adultera, ſi fuerit „ cum altero viro. Si autem mortuus fue„ rit vir ejus, liberata eſt a lege viri, ut „ non ſit adultera, ſi fuerit cum altero vi„ ro. „ Et I. ad Cor. VII. „ Dico autem „ non nuptis & viduis: bonum eſt illis, ſi „ ſic permaneant, ſicut & ego. Quod ſi „ non ſe continent, nubant. Mulier alli„ gata eſt legi, quanto tempore vir ejus vi„ vit: quodſi dormierit vir ejus, liberata „ eſt, cui vult, nubat, tantum in Domino. „ Id eſt, tantum viro fideli. I. Timoth. V. de viduis ait: „ volo ergo juniores nubere, fi„ lios procreare, matres familias eſſe, nul„ lam occaſionem dare adverſario maledi„ cti gratia. „

Dixi *per ſe;* per accidens enim malæ ſunt, quando ex præcepto Eccleſiæ fuerunt interdictæ, uti hoc olim contigit in multis Eccleſiis, ubi varii canones pœnitentiales ſtatuti fuerunt, in ſecundas & ulteriores nuptias. Quod probe obſervari velim. Servit enim ad intelligendos antiquos Patres & Canones. 41

Prob.

42 *Prob. II.* Traditione SS. Patrum. e ſæculo I. inſigne exſtat teſtimonium Hermæ *Paſtoris*, qui Lib. II. mandato IV. n. 4. ita ex angelo interrogat: „ Si vir vel mulier a-
„ licujus deceſſerit, & nupſerit aliquis *illo-*
„ rum, nunquid peccat, qui nubit? Non
„ peccat, inquit, qui nubit; ſed ſi per ſe
„ manſerit, magnum ſibi conquirit honorem
„ apud Dominum. „

43 Auctor conſtitutionum Apoſtolicarum, qui medio circiter ſæculo II. ſcripſit, ſecundas nuptias per ſe non reprehendit, niſi poſt votum continentiæ initas. Ita vero ſub Apoſtolorum nomine loquitur III. 1. „ Viduas
„ autem conſtituite non minores annis ſexa-
„ ginta, ut quodammodo propter grandævi-
„ tatem certi ſitis ac nulla ſuſpicio ſit, eas
„ ſecundum matrimonium contracturas.
„ Quodſi juniorem in viduatu conſtitueritis,
„ eaque non ferens viduitatem in juventute,
„ nupſerit, ignominiam afferet glorioſo *vi-*
„ *duarum* gradui, atque rationem Deo red-
„ det, *non quod ſecundis nuptiis copulata ſit,*
„ ſed quod profeſſionem ſuam non ſervarit,
„ luxuriata adverſus Chriſtum; quia cum fi-
„ de ac Dei timore non venit ad tenendum
„ propoſitum. & cap. 2. Etenim id quo-
„ que ſcire debetis, primas quidem & uni-
„ cas nuptias, quando ſecundum legem ac
„ jus fiant, juſtas eſſe, utpote juxta volun-
„ tatem Dei celebratas; ſecundas vero poſt
„ profeſſionem nuptias, eſſe illicitas, *non*

„ *pro-*

„ *propter conjugium*, ſed propter menda-
„ cium. - - - Adoleſcentioribus vero vi-
„ duis poſt primi mariti obitum ſecundus
„ concedatur, ne in judicium diaboli inci-
„ dant, & in laqueos multos &c.

Eodem ſæculo CLEMENS Alexandrinus 44
Lib. III. Stromatum cap. XII. pag. 548. e-
dit. oxonienſ. nulli legi, ſed ſolum majori
perfectioni repugnare ſcribit his verbis: „ I-
„ dem vir & Dominus dum vetera renovat,
„ non amplius concedit polygamiam (ſimul-
„ taneam) nam hanc quidem expetebat
„ Deus, quando oportebat homines augeri
„ & multiplicari, ſed monogamiam intro-
„ ducit propter liberorum procreationem &
„ domus curam, ad quam data eſt mulier
„ adjutrix: Et ſi cui Apoſtolus, propter in-
„ temperantiam & uſtionem, veniam ſecun-
„ di concedit matrimonii; nam hic quoque
„ non peccat quidem ex teſtamento (non eſt
„ enim a lege prohibitus) non implet autem
„ ſummam illam vitæ perfectionem, quæ
„ agitur ex Evangelio. Gloriam autem ac-
„ quirit cœleſtem, qui apud ſe manſerit,
„ eam, quæ eſt morte diſſoluta, impollutam
„ ſervans conjunctionem. „

De Patribus Latinis multo minus du- 45
bium eſſe poteſt, quando TERTULLIANUS
ante ſuam apoſtaſiam ex mente totius Eccle-
ſiæ docet, abſtinentiam a ſecundis nuptiis
de conſilio, non de præcepto a Paulo com-
mendatam fuiſſe. Ideoque & uxorem ſuam

hortatur, ut si eum superviveret, in cœlibatu maneret, aut si continere non posset, non nisi fideli nubatur, secundum Apostoli præceptum. Sic enim scribit Lib. II. ad uxorem cap. I. „ Apostolus de viduis quidem „ & innuptis ut ita permaneant, suadet, „ cum dicit: cupio autem omnes meo exem„ plo perseverare. De nubendo vero *in Domino*, cum dicit, tantum in Domino, non „ jam suadet, sed jubet. „

46 S. Ambrosius lib. de viduis cap. 11. „ Non prohibemus secundas nuptias, sed „ non probamus sæpe repetitas: neque e„ nim expedit, quidquid licet. „ Similiter S. Hieronymus postquam in suis adversus Jovinianum libris ita continentiam commendaverat, ut nuptiis detrahere videretur, per modum apologiæ scribit Epist. 30. cap. 7. „ Ego nunc libera voce proclamo, non „ damno in Ecclesia digamiam, imo nec tri„ gamiam, & ita licere quinto & sexto & „ ultra, quomodo & secundo marito nube„ re. Sed quomodo non damnantur istæ „ nuptiæ, ita nec prædicantur. Solatia mi„ seriæ sunt, non laudes continentiæ - - - „ omnia licent, sed non omnia expediunt. „ Non damno digamos, imo nec trigamos, „ & si dici potest, octogamos. Habeat cui „ libet octavum maritum, & desinat esse „ prostituta. „ Denique S. Augustinus Lib. de bono viduitatis cap. 11. & 12. „ Ne arbitreris secundas nuptias crimen esse,

„ vel

„ vel quascunque nuptias, cum ſint nuptiæ, „ malum eſſe. - - - De tertiis & quartis, „ & de ultra pluribus nuptiis ſolent homi- „ nes movere quæſtionem. Unde ut brevi- „ ter reſpondeam, nec ullas nuptias audeo „ damnare, nec eis verecundiam numeroſi- „ tatis auferre. „

Sed & Eccleſia univerſa Montaniſtis, ſecundas nuptias damnantibus, & Novatianis, qui eundem errorem ſuſcitaverant, ſeſe oppoſuit, & in Concilio Nicæno I. can. 8. ſtatuit, cum bigamis communicandum eſſe.

Prob. Ratione. Quando ſecundæ & ul- 47
teriores nuptiæ nullo jure ſeu naturali, divino, vel Eccleſiaſtico generali prohibita ſunt, nec matrimonii primario fini adverſantur, tunc per ſe honeſtæ & permiſſæ ſunt; atqui nullo jure prohibentur; quod enim Eccleſiæ non nullæ rigidiores fuerint, ex Eccleſiarum omnium conſenſu factum haud fuit, nec legem univerſalem conſtituit. *ergo* &c.

Resolutio II. In quibusdam Eccleſiis orientalibus bigamia, & a fortiori trigamia &c. interdicta erat.

Prob. I. Concilium Neocæsareense 48
can. 3. ſtatuit: „ De his, qui ſæpius nubunt, tempus quidem pœnitentiæ quod „ his conſtitutum eſt, obſervabant, ſed con- „ verſatio & fides eorum tempus abbreviabit. „ Et can. 7. decernit, „ Presbyterum „ convivio ſecundarum nuptiarum intereſſe

 „ non

„ non debere, maxime cum præcipiatur
„ ſecundis nuptiis pœnitentiam tribuere.
„ Quis ergo erit Presbyter, qui propter con-
„ vivium illis conſentiat nuptiis? atqui pœ-
„ nitentia non niſi legis cujusdam transgreſ-
„ ſoribus infligi ſolet. *ergo.*

49 *Prob. II.* S. Basilius Epiſtola Canonica ad Amphilochium Can. IV. „ Trigamorum & Polygamorum eundem canonem „ definimus, quem in bigamis pro proportione. Annum enim in bigamis: alii vero duos annos. Trigamos autem ſæpe „ tribus & quatuor annis ſegregant. Id „ autem non amplius conjugium ſed polygamiam compellant, ſeu potius caſtigatam fornicationem &c. „ nimirum ob præſumptum affectum libidinis, & incontinentiæ. Videtur conſentire S. Gregorius Nazianzenus orat. XXXVII. in illa Chriſti verba Matth. VI. *cum conſummaſſet Jeſus hos ſermones.* Ubi expendit hæc Apoſtoli verba: Eph. V. *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* ſcribit: „ hac oratione ſecundas nuptias mihi „ deprecari videtur. Si enim duo Chriſti „ ſunt, duo quoque viri ſunt, & duæ uxores. Si autem unus Chriſtus, unum Eccleſiæ caput, una etiam caro ſit, ſecunda „ autem reſpuatur. Quod ſi ſecundam prohibeat, de tertia quid dicendum eſt? primum lex eſt, ſecundum venia, & indulgentia, tertium iniquitas. Qui autem „ hunc

„ hunc numerum excedit, porcinus plane „ eſt, utpote ne multa quidem vitii exem„ pla habens. „ Nolim tamen hic diſſimulare, hos alioſque textus ab aliis exponi, quod non ipſæ in ſe nuptiæ cenſeantur illicitæ, ſed quod cauſa ad iteratas impellens ſit libido immoderata, & incontinentia, quæ pœnitentiæ fuerit ſubjecta.

Sæculo IX. quartas nuptias Imperator 50
BASILIUS Macedo novella, *non licere ad quartas nuptias tranſire*, irritas declaravit. Quæ quidem turbis anſam præbuit. Nam hujus filium LEONEM ſapientem NICOLAUS Patriarcha Conſtantinopolitanus ab Eccleſiæ communione ſemovit, ob quartas contractas nuptias. Quibus quidem turbis finem impoſuit JOANNES X. Romanus Pontifex interpoſita diſpenſatione. Non hic disquiram, an Imperatori competierit poteſtas annullandi illa matrimonia, de quo infra dicam: hoc tantum obſervo, Epiſcopos orientales a Conſtantino Leonis filio in Concilium vocatos quartas nuptias iterato interdixiſſe, ac prorſus rejeciſſe.

Ex his facile patet, quid Patrum texti- 51
bus, qui opponi ſolent, ſit reponendum. Nempe vel loquuntur de immoderata incontinentia tanquam cauſa repetitarum nuptiarum, quam damnant, & pœnitentiæ ſubjiciunt: aut loquuntur de particulari diſciplina quarumdam Eccleſiarum orientalium, quæ ſecundas nuptias interdicebant. Quod

vero etiam in Ecclesia Latina secundis nuptiis sacerdotalis benedictio denegetur, ratio est, non quod per se sint prohibitae: sed quod non tam perfecte significent conjunctionem Christi cum Ecclesia, unius cum una, ac propterea benedictione indignae censeantur.

§. V.

De indissolubili matrimonii vinculo.

52 Cum matrimonium ex vulgata definitione individuam vitae consuetudinem, & conjugatorum vinculum importet, quaeritur, an illud tale sit, ut solvi nisi per mortem nequeat. Sunt autem hic tria consideranda. 1. Matrimonium *ratum*, & consummatum. 2. Matrimonium *consummatum* inter gentiles, vel Judaeos & Christianos. 3. Dissolutio matrimonii quoad *vinculum*, ita, ut reciproca tollatur obligatio, possintque partes ad alias transire nuptias: vel quoad *thorum*, id est liberationem a debito conjugali, vel quoad *mensam*, id est seu cohabitationem manente in utroque posteriore casu matrimonii vinculo.

53 De matrimonio *rato* quaeri solet, an dissolvatur per alterius in Religione approbata solennem professionem? Quoad matrimonium *consummatum* inter *Judaeos* constat, Maritis, non autem reciproce uxoribus, a Moyse permissum fuisse scribere Libellum repudii, & dimit-

dimittere uxorem. An autem illo caſu matrimonium ſolutum fuerit quoad *vinculum*, non conveniunt Theologi & interpretes. Communior ſententia negat, fatente etiam Bellarmino, quamvis ipſe pro diſſolutione vinculi pugnet. S. Thomas in IV. Diſt. XXXIII. Quæſt. 2. diſputat. in utramque partem, at Lib. III. contra gent. cap. 123. in fine in negativam propendet. Quoad matrimonium *infidelium* quæritur, an per unius ad Religionem Chriſtianam tranſitum ſolvatur quoad vinculum.

Quoad matrimonium *Chriſtianorum* conveniunt Catholici, illud haud quidem quoad 54
vinculum, ſed ſolum quoad thorum & menſam diſſolvi poſſe. Excipiunt Græci caſum adulterii. Ideo poſtquam in Concilio Florentino unio quoad Articulos fidei jam peracta fuerat, inter alia ex iisdem ſciſcitabantur Latini, cur matrimonia dirimerent, dicente Domino: *quod Deus conjunxit, homo non ſeparet;* reſponderunt Græci, ſe perfectam reſponſionem dare non poſſe inconſulto Imperatore, & Præſulibus. Privatim autem ajebant: Matrimonium dirimimus non ſine juſtis cauſis. Cum vero in Concilio Tridentino jam jam paratus fuiſſet Canon, quo anathema infligeretur, *ſi quis dixerit matrimonium ob adulterium ſolvi poſſe:* Et oratores veneti interceſſiſſent, ut propter Græcos, qui ſubſunt dominio reipublicæ, & Catholicis Epiſcopis obtemperant, Canon

temperaretur: aurem præbuerunt congregati Patres, & Canonem, ut nunc eſt, promulgarunt in hæc verba: „ Si quis dixerit, „ Eccleſiam errare, cum docuit, & docet „ juxta Evangelicam doctrinam propter ad- „ ulterium alterius conjugum matrimonii „ vinculum non poſſe diſſolvi &c. anathema „ ſit. „ Quæ quantum inter ſe diſtent, ex legibus propoſitionum contradictoriarum evidens eſt.

55 LUTHERUS & CALVINUS, non ob ſolum adulterium, ſed pluribus ex cauſis matrimonii vinculum diſſolvi docent, ac inſuper contendunt, Eccleſiam errare in ſenſu ſacræ Scripturæ explicando, dum matrimonia docet non poſſe diſſolvi: quos proin directe ferit anathema Tridentinum. Eandem matrimonii diſſolubilitatem propugnaverat ERASMUS Roterodamus, in quam etiam inclinabat Cardinalis CAJETANUS. In utramque partem diſputat CATHARINUS, uterque Dominicanus. Elapſo ſæculo hanc quæſtionem ad diſciplinam, non ad dogma ſpectare ſcripſit LAUNOJUS doctor ſorbonæ. his obſervatis

56 RESOLUTIO I. Matrimonium *ratum*, nondum conſummatum, dirimitur quoad vinculum per ſolennem alterius conjugum in approbata Religione profeſſionem. Eſt definitum a Concil. TRIDENTINO Seſſ. XXIV. Can. VI. contra Proteſtantes.

Prob.

Prob. I. Quod matrimonium non possit dissolvi post carnalem copulam, deducit Christus ex eo, quia jam non sunt duo, sed *una* caro, conjuncta a Deo: ergo quia ante consummationem non sunt *una* caro, matrimonium ratum poterit dirimi.

Prob. II. Ex toto titulo de conversione conjugatorum, ubi id clare legitur decisum.

Prob. III. Quibusdam exemplis sanctorum, qui relictis sponsis transierunt ad statum monasticum, quorum non nulla referuntur cap. *verum* cit. tit. uti S. THECLÆ, quæ copulam fugit nuptialem, ut ait S. AMBROSIUS lib. II. de Virg. Cap. III. GREGORIÆ virginis, de qua GREGORIUS Lib. III. dialog. cap. 14. quoniam vero ejusmodi facta, & Romanorum Pontificum doctrina nunquam fuit improbata, aut ab hæreticis impugnata, nec ejus reperitur quoddam initium, merito ex Regula S. AUGUSTINI ad traditionem Apostolorum hæc doctrina refertur. 57

Prob. IV. Quamvis autem ratio convincens dari nequeat, suadetur tamen ex eo; quia sicut matrimonium *consummatum*, quod est conjunctio *corporum*, dissolvitur morte *naturali*, ita etiam matrimonium *ratum*, quod est tantum conjunctio *animorum*, dirimitur professione religiosa, quæ est mors *moralis*, qua religiosus moritur negotiis mundanis, & vivit Deo. Est & altera ratio. Ideo matri- 58

matrimonium Christianorum *consummatum* non potest dissolvi, quia significat conjunctionem naturae divinae cum humana, & Christi cum Ecclesia, quae est indissolubilis. Ergo a contrario, quia matrimonium *ratum*, utpote in sola animorum conjunctione consistens tantum significat unionem Christi cum anima fideli per charitatem, quae *solvi potest*, etiam hoc matrimonium poterit dissolvi.

59 Objic. I. Paulus I. Cor. VII. docet, Matrimonium solvi sola morte. *ergo* &c.

II. S. Gregorius M. Lib. IX. Epist. XXXIX. scribit: „ Sunt qui dicunt, Religione ea conjugia debere dissolvi: verum sciendum est, quia etsi hoc lex humana concessit, lex tamen divina prohibuit. „ *ergo.*

Resp. Ad utrumque, sermonem esse de matrimonio *consummato*. vid. plura apud continuatorem Tournelii. cap. V. sect. V.

60 Resolutio II. Matrimonium consummatum jure naturali & positivo indissolubile est.

Prob. I. Ex iis quae supra allata sunt de polygamia, non enim minus divortium adversatur fini matrimonii, quam polygamia, nimirum generationi prolis, educationi, animorum conjunctioni &c. hinc Adamus lumine naturae inspiratus pronuntiavit: relinquet homo Patrem suum, & matrem

ſuam, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una.

Prob. II. Quia etiam gentes bene mo- 61
ratæ repudium improbarunt, ut patet ex VALERIO Maximo Lib. II. Cap. VII. ubi carpit Spurium Carnilium, quod ſterilitatis cauſa repudiaſſet uxorem, quia, ait, nec cupiditatem quidem liberorum conjugali fidei præponi debuiſſe arbitrabantur. De lege poſitiva divina conſtat, patebitque ex dicendis. vid. etiam capitulum *gaudemus* de divortiis, ubi ſtatuitur, ut fidelis, qui repudiata prima uxore aliam duxerat, ad fidem converſus, poſteriorem dimittere, & cum prima reconciliari debeat.

OBJIC. Multæ leges Imperatorum etiam 62
Chriſtianorum matrimonia ſolvi poſſe declararunt. *ergo.*

RESP. Leges illas, ſi de *vinculo* loquuntur, eſſe iniquas, & invalidas, cum hæc materia excedat poteſtatem laicorum. Hinc ait CHRYSOSTOMUS in cap. VII. ad Rom. „ Nec mihi recites leges externas, atque „ profanas, quæ libellum repudii dare, ac „ divortium facere præcipiunt; non enim „ profecto ſecundum has leges judicaturus „ eſt Dominus, ſed juxta eas, quas ipſe „ poſuit. „ Et AUGUSTINUS hom. XLVI. inter 50. dicit, iſta licere jure *fori*, non jure *poli.* Imperatores Chriſtiani id ſolum voluiſſe cenſeri poſſunt, ut *impunita* permitterent, non autem *licita* declararent ejuſmodi repudia.

RESO-

63 Resolutio III. Matrimonium consummatum infidelium solvitur quoad vinculum, quando alteruter Religionem Christianam amplectitur.

Prob. Deus in favorem Christianæ Religionis dispensavit, ut colligitur ex D. Paulo I. Corinth. VII. ubi postquam de *matrimonii* fidelium indissolubilitate hæc præmiserat: „ Iis autem, qui matrimonio juncti „ sunt, præcipio non ego sed Dominus, u„ xorem a viro non discedere. Quodsi di„ scesserit, manere innuptam, aut viro suo „ reconciliari, & vir uxorem non dimittat. „ Mox subjicit de infidelibus: „ Nam cæteris „ ego dico, non Dominus, si quis frater u„ xorem habeat infidelem, & hæc consen„ tit habitare cum illo, non dimittat illam. „ Et si mulier fidelis habet virum infidelem, „ & hic consentit habitare cum illa, non di„ mittat virum. Quod si infidelis discedit, „ discedat; non enim servituti subjectus *est* „ frater aut soror hujusmodi. „ Duo hic docet Apostolus: I. Divino mandato prohiberi *fideles*, ne rumpant vinculum matrimonii consummati: II. *Infidelem* autem conversum solum hortatur: *ego dico, non Dominus:* ergo istud matrimonium non est indissolubile quoad vinculum.

64 Nec dicant adversarii. Paulum loqui de divortio quoad thorum & mensam.

Contra est, sic nullum esset discrimen quoad indissolubilitatem matrimonii & infidelium,

delium, de qua tamen hic agit Paulus; cum & inter fideles multis caſibus permiſſum ſit divortium quoad thorum & menſam. Ergo loquitur Paulus de vinculo. vid. cap. *quanto*, de divortiis, ubi id clare docetur.

Resolutio IV. Quando pars infidelis 65
conſentit pacifice & ſine contumelia creatoris cohabitare converſo, valet quidem divortium, & ſolvitur vinculum per matrimonium cum altera: peccabit tamen contra charitatem, qui conſortem dimittit.

Prob. Verbis S. Augustini lib. I. de adulterinis conjugiis cap. 18. „ Tunc autem „ non expedit id, quod licitum eſt, quan- „ do permittitur quidem, ſed uſus ipſius po- „ teſtatis aliis affert impedimentum ſalutis: „ ſicut & diſceſſio fidelis conjugis ab infide- „ li, quam non prohibet Dominus præcepto „ legis, quia coram illo injuſta non eſt; „ ſed prohibet Apoſtolus conſilio charitatis, „ quia infidelibus affert impedimentum ſa- „ lutis, non ſolum quia pernicioſiſſime ſcan- „ dalizantur offenſi, verum etiam cum in a- „ lia conjugia ceciderint viventibus eis, a „ quibus dimittuntur, adulterinis nexibus „ colligati difficillime reſolvuntur. „ Hæc Augustinus. Quod autem non per ſolam profeſſionem Chriſtianam, ſed per ſubſequens demum matrimonium cum alia initum ſolvatur vinculum prioris, deciſum habetur cap. *gaudemus* de divortiis. Ubi ſtatuit Innocentius III. quod ſi converſum ad fidem

&

& illa conversa sequatur, antequam propter causas prædictas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere compellitur.

66 Resolutio V. Per libellum repudii non solvebatur vinculum matrimonii Judæorum. Est communior opinio.

Prob. I. Christus Matth. XIX. a Pharisæis subdole interrogatus: *si licet homini dimittere uxorem suam, quacunque ex causa?* Postquam matrimonii vinculum ex primæva Dei institutione dissolvi non posse declaraverat, & dispensationem quoad polygamiam revocaverat, ulterius interpellatus ab illis: *Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, & dimittere?* Respondit, Moysen id non *præcepisse*, sed solum *permisisse*, & tam repudiantem, quam repudiatam si alteri misceatur, adulterii crimen incurrere. Hæc autem sunt Christi legem primævam exponentis verba: „ Moyses ad duritiam cordis „ vestri permisit vobis dimittere uxores ve„ stras: ab initio autem non fuit sic. Dico „ autem vobis, quia quicunque dimiserit u„ xorem suam, nisi ob fornicationem, & „ aliam duxerit, mæchatur, & qui dimissam „ duxerit, mæchatur. „

67 *Prob. II.* Matrimonium illud non poterat solvi nisi per dispensationem divinam. Atqui nulla fuit ratio dispensandi. ergo &c. *min. prob,* 1. Causa esse non potuit multiplicatio populi fidelis, cui satis erat provisum per polygamiæ concessionem. 2. Nec ratio

ratio esse potuit duritia Judæorum; nam cum hæc sit obstinatio animi, qua quis bona & vera suggerenti ac præcipienti obedire detrectat, non potuit hæc habere rationem honesti, quæ Deum moveret ad dispensandum in lege naturæ.

Prob. III. Libellus repudii fuit Judæis 68
tantum *permissus*, id est *impunis*, ad evitanda majora mala; cum enim Moyses prævideret, propter desiderium secundarum conjugum, quæ vel ditiores, vel juniores, vel pulchriores essent, primas uxores interficiendas fore, aut malam vitam ducturas, maluit indulgere divortium, quam odia & homicidia perseverare. Ut loquitur HIERONYMUS in Matth. cap. XIX. CHRYSOSTOMUS in eundem locum Hom. LXIII. observat, Christum Pharisæis demonstrasse, præter naturam, & contra legem esse repudium; præter naturam quidem, quia una caro efficitur: contra legem autem, quia cum Deus conjunxerit, & jusserit non separari, ipsi contra præcepta Dei facere ausi sunt. Docet hoc quoque AUGUSTINUS Lib. XIX. contra Faustum Manich. cap. XXVI. & lib. de bono conjugali cap. XVIII. „ Sicut duobus pluribus„ que (maritis) servire, sic a viro vivo in „ alterius transire connubium nec tunc li„ cuit, nec nunc licet, nec unquam lice„ bit. „

Prob. IV. Mulier libello repudii dimissa, 69
si alteri nupserit, dicitur *polluta* & *abominabilis*

lis coram Domino. Deut. XXIV. comparatur *fornicariæ* Jerem. III. 2. jam cum apud Ezechiel. XXXIII. 26. adulteræ dicantur *pollutæ*, sequitur, etiam a sic dimissis adulterium committi. Denique non legitur exemplum de viris sanctis, quod usi fuerint repudii libello; quando enim Abraham dimisit Agar, hæc dimissio non fuit Repudium, sed divortium quoad thorum & mensam.

70 Objic. I. S. Scriptura de libello repudii tanquam re permissa, & honesta, loquitur nec ullibi improbat. Sic Deuteron. XXIV. 1. *scribet libellum repudii, & dimittet eam de domo sua - - cumque egressa alterum maritum duxerit* &c. *ergo.*

II. Non datur præceptum nisi de re honesta. Atqui libellus repudii fuerat Judæis præceptus. Quod constat tum ex loco citato, tum Matth. XIX. quid ergo Moyses *mandavit* dare libellum repudii & dimittere. *ergo* &c.

III. Solis Sacerdotibus erat prohibitum repudiatam ducere. Levit. XXI. 7. Ergo aliis licebat; quia exceptio firmat regulam in contrarium.

IV. Repudiata si alteri nupsisset, debuisset lapidari tanquam adultera, si repudium non solvisset vinculum. Atqui hoc contigisse nullibi legitur. *ergo* &c.

V. Si non fuisset solutum vinculum, tunc lex parum fuisset æqua; nam viris propter poly-

polygamiam licuisset ducere plures uxores: repudiata vero perpetuo caruisset incontinentiæ remedio.

VI. Nec Moyses nec Prophetæ redarguerunt contracta cum repudiatis conjugia, quæ tamen fuissent formalia adulteria. *ergo* &c.

VII. Lex Deut. prohibuit, ne repudiata post mortem secundi mariti posset a priore recipi in matrimonium. Cur hoc? nisi quia repudio fuit solutum vinculum. *ergo* &c.

Resp. ad I. *distinguo antec.* loquitur de re tanquam permissa, id est, *impuni* pro foro externo, ad evitanda uxoricidia, & alia mala, *conc.* tanquam honesta & licita pro foro interno, *nego.* nam mulieres repudiatæ, quæ alteri nupserunt, pollutæ coram Domino, & abominabiles dicuntur: quod utique de muliere legitimo matrimonio juncta scriptura non diceret.

Resp. ad II. Permitti repudium non præcipi. Ne autem vir cito dimitteret uxorem legitimam, jubetur scribere libellum repudii; ut interea temporis ira defervescente mature secum deliberaret. Ita pene ad verbum S. Augustinus Lib. XIX. contra faustum Cap. XXVI. igitur præceptum pertinet ad libelli *conscriptionem,* non ad uxoris *dimissionem.*

Resp. ad III. Omnibus quidem Judæis jure divino prohibitum erat repudiatam du-

cere, ſed ſpeciali præcepto, & ſingulari ratione ſacerdotibus, quia ad majorem perfectionem vi ſtatus tenebantur; ait enim citatus textus: *quia conſecrati ſunt Deo ſuo.* Itaque ſi ſacerdos repudiatam duxiſſet, in novum præceptum poſitivum præter divinam legem deliquiſſet, & immunditiam etiam legalem contraxiſſet.

Resp. ad IV. nego *ſequel.* Nam cum propter duritiam Judæorum talia repudiatarum matrimonia tolerarentur pro foro externo, uti ipſum repudium, & lex eas tantum lapidari juberet, quæ ſine conjugio vero vel putatitio concumberent, non poterat hæc *lex* repudiatas ferire.

Resp. ad V. nego *ſequel.* Et ſuppoſitum, quod extiterit lex dimittendi uxorem. Ad probationem dico, hoc fuiſſe *per accidens*, quod mulier non habuerit remedium incontinentiæ, ut etiam nunc ſæpius contingit in divortio quoad thorum, vel cum ſupervenit impedimentum impotentiæ, infirmitatis, aut abſentiæ mariti. *Per ſe* autem habuiſſet remedium, nempe legitimum matrimonium, & ſupererat ſpes reconciliationis cum marito.

Resp. ad VI. Non ideo non redarguerunt tanquam adulterina, quod non eſſent talia, ſed quia ad evitanda mala majora in foro externo erant permiſſa repudia. Si enim Prophetæ maritos coegiſſent ad retinendas, vel recipiendas uxores ingratas, facile

occa-

occasionem praebuissent uxoricidii. Dein lex satis prohibebat, quae mulieres repudiatas, & alteri nuptas, vocat *pollutas* & abominabiles coram Domino.

Resp. ad VII. Illud ex ea ratione prohibitum fuerat, ne matrimonium a repudiata cum altero contractum, quia vulgo reputabatur validum, videretur ea ad tempus alteri viro commodata, & nunc ad pristinum reversa, quod erat inconveniens. Aut dici potest, lege positiva post repudium statutum fuisse impedimentum petendi vel reddendi debiti, quod utique reditum repudiatae ad pristinum virum prohibebat.

Resolutio VI. In lege Evangelica nec 71
adulterio nec alia de causa solvitur matrimonii vinculum. Contra Graecos & Protestantes.

Prob. I. ex S. scriptura. Christus illimitate pronunciavit, fornicari illum, qui uxore dimissa aliam duxerit, & qui dimissam duxerit. Marci X. 11. *Quicunque dimiserit uxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam.* Luc. XVI. 18. *Omnis qui dimittit uxorem suam, & alteram ducit, maechatur, & qui dimissam a viro ducit, maechatur.* Paulus Christi interpres etiam absolute pronuntiat I. Cor. VII. 10. *Iis autem, qui matrimonio juncti sunt, praecipio non ego,* Sed Dominus, *uxorem a viro non discedere: quodsi discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. Et vir uxorem non dimittat.*

 Ergo

Ergo nullo caſu ſolvitur vinculum niſi per mortem. Item ait ibidem. *Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir ejus vivit.*

72 Nec dicant adverſarii, Paulum velle, non debere mulierem diſcedere aut dimitti, extra caſum fornicationis.

Contra eſt. Nam ſi hoc voluiſſet Paulus, tunc dixiſſet, mulierem aut omnino non debere diſcedere nec dimitti; vel ſi exiſtimaſſet, fornicatione ſolvi vinculum, non debuiſſet dicere, mulierem, utique legitima divortii cauſa dimiſſam, debere manere innuptam. *ergo* &c.

73 *Prob. II.* Ex traditione Patrum, qui omnes hoc ſenſu legem Evangelicam explicant. Et de Latinis quidem vix eſſe dubium poteſt. Stat pro omnibus S. Augustinus Lib. I. de adulterinis conjugiis, ubi hoc ex inſtituto agit. Ex Græcis primus ſit Hermas Paſtor ſæculi I. qui lib. II. mandato IV. ſcribit. „ Si ſcierit vir uxorem ſuam deliquiſſe, & non egerit pœnitentiam mulier, „ & permanet in fornicatione ſua, & convivit cum illa, reus erit peccati ejus, & „ particeps mæchationis ejus - - - quod „ ſi dimiſerit mulierem, & aliam duxerit, „ & ipſe mæchatur. „ Hic expreſſe ſermo eſt de caſu adulterii, quo tamen vinculum ſolvi negat Hermas.

74 E ſæculo II. teſtis eſt S. Justinus M. Apologia I. n. 15. nov. edit. „ Itaque de „ caſtitate tantundem dixit (Chriſtus) *Qui*

„ *in-*

,, *inſpexerit mulierem ad concupiſcendum eam,*
,, *jam mæchatus eſt in corde apud Deum* - - -
,, Et: *Qui ducit repudiatam ab altero viro,*
,, *mæchatur.* - - - Quemadmodum etiam ii,
,, qui ex lege humana (permittente) duplex
,, matrimonium (ſimultaneum) ineunt, ita
,, & qui mulierem aſpiciunt ad concupiſcen-
,, dum eam, peccatores ſunt apud magi-
,, ſtrum noſtrum. Non enim is ſolum ab eo
,, ejicitur, qui re & actu mæchatur, ſed et-
,, iam qui mæchari vult; quippe cum Deo
,, non facta ſolum, ſed etiam cogitata pa-
,, teant. ,,

Eodem ſæculo ATHENAGORAS legatione 75
pro Chriſtianis n. 33. inter opera JUSTINI.
,, Unusquisque noſtrum uxorem ſuam, quam
,, ſecundum leges a vobis (Romanis) poſi-
,, tas duxit, uxorem exiſtimat usque ad li-
,, berorum procreationem - - - Multos et-
,, iam apud nos reperire eſt, tum viros tum
,, mulieres, qui cœlibes conſeneſcant, ſpe
,, arctius ſe cum Deo conjunctum iri. Quod
,, ſi in virginitate & Eunuchi ſtatu manere,
,, magis Deo conjungit, ab eo autem vel ſo-
,, la cogitatio & cupiditas abducit: quorum
,, cogitationes fugimus, eorum actiones mul-
,, to magis averſamur. Neque enim medi-
,, tatione ſermonum, ſed demonſtratione &
,, diſciplina actionum res noſtræ continen-
,, tur, ut quisque vel qualis natus eſt, ma-
,, neat, vel unicis in nuptiis. Secundæ e-
,, nim (ſimultaneæ) decorum adulterium.

„ *Quicunque enim dimiſerit*, inquit, *uxorem* „ *ſuam*, *& aliam duxerit, mœchatur*. Nec „ eam dimitti ſinens, cujus virginitati finem „ quis impoſuit, nec aliam inſuper duci. „ Nam qui ſe ipſe prima uxore ſpoliat, et- „ iamſi mortua ſit, occulta quadam ratione „ eſt adulter. „ Quodſi Athenagoras ſecun- „ das nuptias ſucceſſivas, ut non *nulli* exi- ſtimant, adulteria judicavit: quanto magis nuptias cum repudiata, viro priore vivente, initas?

76 Eodem pariter ſæculo ſcripſit Clemens A- lexandrinus, Lib. II. Stromat. fin. pag. 506. edit. oxon. „ Quod autem conſulit ſcriptu- „ ra uxorem ducere, & nec a conjugio *un-* „ *quam* permittit diſcedere, legem aperte „ conſtituit: *Non dimittes uxorem, præter-* „ *quam propter fornicationem.* Adulterium „ autem exiſtimat conjungi matrimonio, „ dum vivit alter ex ſeparatis. - - *Qui au-* „ *tem dimiſſam accipit uxorem, mœchatur*, in- „ quit: *ſi quis* enim *dimiſerit uxorem, mœcha-* „ *tur ipſam*, hoc eſt, cogit eam mæchari. „ Non ſolum autem qui dimiſit, eſt ejus cau- „ ſa, ſed etiam qui eam ſuſcepit, præbens „ mulieri peccandi occaſionem, ſi enim non „ ſuſcipiat, revertetur ad virum. Quid ve- „ ro lex? ut reprimat ad vitia propenſio- „ nem, jubet de medio tolli eam, quæ ad- „ ulterata, & adulterii fuerit convicta. - - „ Nequaquam igitur lex cum Evangelio pu- „ gnat, ſed ei conſentit. „ Atqui mulier

dimiſſa

dimiſſa non poteſt dici adultera, ſi vinculum diſſolutum fuiſſet. Ita & Patres alii, quos collegit COTELERIUS in notis ad citatum Hermæ locum. Ut adeo legitimus, & traditioni conformis ſit Canon. 7. Concilii Tridentini Seſſ. XXIV. Quamvis non diffitear, nonnullos e Græcis Patribus durius locutos fuiſſe.

OBJIC. I. Chriſtus Math. XIX. dum de indiſſolubilitate matrimonii loquitur, excipit tamen caſum fornicationis: ait enim: „ Quicunque dimiſerit uxorem ſuam, *niſi ob fornicationem*, & aliam duxerit, mæchatur. „ Ergo caſu adulterii repudiata uxore aliam ducere licet. 77

II. S. EPIPHANIUS hæreſ. LIX. ait: „ Sed cui mortua una non ſufficit, cum occaſione aliqua ſtupri, adulteriique, aut alterius flagitii cum ea divortium fecerit, is ſi alteram uxorem duxerit, aut alteri viro mulier nupſerit, ſacrarum litterarum auctoritas ab omni culpa eos abſolvit: neque ab Eccleſia aut æterna vita rejicit, ſed propter imbecillitatem tolerandos exiſtimat. „

III. Concilium ARELATENSE I. Can. 10. ſtatuit: „ De his, qui conjuges ſuas in adulterio deprehendunt, & iidem ſunt adoleſcentes fideles, & non prohibentur nubere, placuit, ut in quantum poteſt, conſilium eis detur, ne viventibus uxoribus ſuis, licet adulteris, alias accipiant. „

Ergo tantum est consilium, post repudiatam non ducere aliam.

IV. Joannes VIII. Romanus Pontifex sæculo IX. Epist. LXV. „ Cum priorem legitimo sibi matrimonio junctam quisquam „ deserere nequeat, illi conceditur (in cau„ sa fornicationis) aliam vivente priore con„ ducere. „ *ergo.*

Resp. ad I. Christus illo textu duo prohibet. 1. Ne quis uxorem absque legitima causa, pro cujus exemplo allegat fornicationem, dimittat. 2. Ne muliere quocunque ex capite dimissa aliam ducat, quod patet ex combinatione hujus loci cum Marco, Luca, & Paulo, qui illimitate loquuntur. Debet ergo limitatio trahi ad propositionem priorem, non autem posteriorem.

Resp. ad II. Aut erravit Epiphanius in dogmate, tunc temporis ab Ecclesia nondum clare definito: aut explicari debet de nuptiis, post mortem conjugis contrahendis; quia ait: *cui mortua una non sufficit.* Aut denique vult, illa matrimonia ab Ecclesia tolerari, quoniam erant permissa lege civili.

Resp. ad III. Omnes fere codices, teste Clarissimo P. Berti legunt textum omissa particula *non: & prohibentur nubere.* Sed transmissa etiam particula negativa, quam probat Petavius, sensus est: cum matrimonia jure civili fuerint permissa, suadendum esse fidelibus, ut ab iis sibi temperent; nole-

nolebant enim Patres illi damnando Imperatorum leges invidiam Ecclesiis suis conflare.

Resp. ad IV. Mendosam esse hanc lectionem, & sibi contrariam, nemo non videt. Sic autem legitur in editione Conciliorum. „ Et ideo cum priorem legitimo sibi „ matrimonio junctam quisquam deserere „ nequeat, NULLA RATIONE prorsus illi „ conceditur aliam vivente priore ducere. „

Ad aliorum Patrum aut Conciliorum tex- 78
tus responderi debet, aut loqui eos de solutione matrimonii quoad thorum & mensam, aut de permissione juxta leges civiles: aut si loquantur de vinculo, loqui de casu mortuæ conjugis.

Resolutio VII. Matrimonium con- 79
summatum licite solvi potest quoad thorum & mensam salvo manente vinculo. Idque ob plures causas. Est definitum contra Protestantes Can. VIII. Concilii Tridentini Sess. XXIV.

Prob. I. pars. Christus ob adulterium permittit divortium. Matth. XIX. quin tamen solvatur vinculum. & Paulus Resolut. VI. citatus supponit, mulierem posse discedere, sed tamen debere manere innuptam. *ergo* &c. Constat quoque ex communi Ecclesiæ praxi, ab Ecclesia probata tot. tit. de divort. Insigne hujus rei exemplum prostat in Apologia II. S. Justini Martyris n. 2. edit. nov. „ Mulier quædam cum viro de-

 „ gebat

„ gebat intemperanti, intemperans & ipſa „ prius; ſed poſteaquam Chriſti doctrinam „ cognovit, ipſa ad meliorem frugem ſe re- „ cepit, ac viro ut ſimiliter ſeſe colligeret, „ perſuadere conata eſt, Chriſtianam illi do- „ ctrinam exponens, & futura his, qui libi- „ dinoſe ac præter rectam rationem vixerint. „ Verum ille in iisdem flagitiis permanens, „ factis ſuis alienavit a ſe uxoris animum. „ Impium enim eſſe mulier exiſtimans, cum „ eo deinceps viro, qui præter naturæ le- „ gem, præterque jus undecunque volupta- „ tis vias exquireret, thori conſortio jungi, „ diſcedere a conjugio voluit. Sed ſuorum „ auctoritatem reverita, qui ſuadebant, ut „ adhuc maneret, ac maritum tandem ali- „ quando ſpem mutationis allaturum dice- „ bant; vim fecit ipſa ſibi ut maneret. At „ poſtquam illius vir Alexandriam profectus, „ pejora facere nuntiatus eſt; verita illa, ne „ inique & impie factorum particeps fieret, „ ſi in conjugio maneret, *victusque* ac *tori* „ conſors eſſet, miſſo eo, quod vocatis, re- „ pudio diſceſſit. „ Equidem huic mulieri ad fidem converſæ etiam vinculum disrumpere licuit, ut dictum eſt ſupra n. 64. hic tamen ſolum fit mentio de divortio quoad torum & menſam.

80 *Prob. II.* pars ab enumeratione. 1ma cauſa eſt mutuus conjugum conſenſus ſtudio vitæ perfectioris. Hinc Chriſtus Matth. XIX. *Quicunque reliquerit uxorem propter nomen meum,*

meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. 2. Eſt adulterium, ſeu illicitus concubitus quicunque alterutrius conjugis. 3. Crimen quodcunque aut defectus, ex quo aut vitæ, aut ſævæ cohabitationis, aut ſalutis timetur periculum, quæ fuſius Canoniſtæ & Theologi morales explicant. Ubi hoc tantum obiter notandum, partem innocentem privata auctoritate poſſe facere divortium quoad torum, ſeu negationem debiti conjugalis: non autem quoad cohabitationem; cum enim hæc ſæparatio evadat notoria, & fieri nequeat ſine ſcandalo, auctoritas & declaratio Judicis Eccleſiaſtici interveniat neceſſe eſt. cap. *porro*, de divortiis.

CAPUT II.

DE MATRIMONIO IN RATIONE SACRAMENTI CONSIDERATO.

De Matrimonio, ut contractus naturalis & 81
officium naturæ eſt, quæ potiſſimum ſcitu videbantur neceſſaria, hactenus pertractavi. Quoniam autem illud Chriſtus ad Sacramenti dignitatem ex Eccleſiæ Catholicæ doctrina elevavit, hinc de eo ſub iſta conſideratione inquiritur §. I. an verum ſit N. L. Sacramentum, & quando a Chriſto inſtitutum. II. Quis ejus miniſter, quæ materia & forma. III. An a fidelibus contrahi valeat abſque ratione Sacramenti. IV. An, & a quo eidem adjici poſſint impedimenta

diri-

dirimentia. V. An matrimonia Proteſtantium in Germania valeant? Reliqua, quæ hic pertractanda forent, e Theologis Moralibus & Juris Eccleſiaſtici interpretibus repetenda ſunt.

§. I.

An matrimonium ſit verum Novæ Legis Sacramentum, & quando inſtitutum.

82 Dignitatem Sacramenti matrimonio denegarunt non ii tantum hæretici, qui nuptias damnabant: ſed LUTHERUS quoque, & CALVINUS cum ſuis, quos propterea Concilium TRIDENTINUM anathemate percuſſit Seſſ. XXIV. Can. I. quin & ante Concilium Tridentinum nonnulli ex Theologis & Canoniſtis matrimonium Sacramentum proprie tale eſſe in dubium vocarunt: qui tamen ab hæreſi excuſandi ſunt: tum quod hæc quæſtio tunc non fuerat ſat clare definita, tum quod errorem ſuum pertinaciter haud defenderint. Equidem etiam matrimonium Adami, aliorumque ante Chriſti adventum jam erat ſignum, ſeu figura rei ſacræ, quin tamen propterea Sacramentum proprie tale fuerit, eoquod gratiæ collationem non habuerit annexam, quod ad Sacramentum proprie tale requiritur. An igitur matrimonium in Nova lege ad hanc dignitatem a Chri-

Chriſto, & quando fuerit elevatum, hic inquiritur.

Resolutio I. Matrimonium in Nova 83
lege eſt verum Sacramentum, gratiæ ex inſtitutione Chriſti collativum.

Prob. I. Ad rationem Sacramenti requiruntur 1. Ut ſit ſignum ſenſibile rei ſacræ. 2. A Chriſto inſtitutum. Et 3. collativum gratiæ. Atqui hæc in matrimonio fidelium legitime contracto concurrunt: *ergo* &c. *prob. min.* quoad 1. partem, Nam matrimonium Chriſtianorum eſt *ſignum* unionis Chriſti cum humana natura, cum Eccleſia & anima fideli per gratiam, & quidem *ſenſibile;* cum utique contractus inter virum & uxorem per ſigna inſtituta declaratus ſub ſenſus cadat. Quod vero matrimonium eam unionem ſignificet prob. 1. ex Paulo Eph. V. „ Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint „ ſicut Domino, quoniam vir caput eſt „ mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ „ - - ſed ſicut Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto, „ ita & mulieres viris ſuis in omnibus. Vi„ ri diligite uxores veſtras, ſicut Chriſtus „ dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro „ ea - - ita & viri debent diligere uxores „ ſuas, ut corpora ſua - - nemo unquam „ carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & „ fovet eam, ſicut & Chriſtus Eccleſiam: „ quia membra ſumus corporis ejus de car„ ne ejus & de oſſibus ejus. Propter hoc „ relinquet homo Patrem & matrem ſuam, „ & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne

„ carne una. *Sacramentum hoc magnum est,* „ ego autem dico in Christo & in Ecclesia: „ Seu ut legitur in Græco, in Christum & Ecclesiam. Sensus est. Hæc conjunctio viri & uxoris, qua relinquunt parentes, & sibi invicem adhærent, magnum est mysterium, significans Christi & Ecclesiæ unionem; sicut enim Christus reliquit Patrem, & descendit in mundum unitus carni humanæ, ut ipse ait: *Exivi a Patre, & veni in mundum,* & Synagogam tanquam matrem reliquit, ut Ecclesiæ tanquam uxori adhæreret, ita vir adhærens uxori eandem unionem significat. Prout SS. Patres passim explicant. e. g. CHRYSOSTOMUS Hom. LVI. in Genes. *An non audit Paulum dicentem: quod* SACRAMENTUM *sint nuptiæ, & imago dilectionis Christi, quam erga Ecclesiam declaravit.* & HIERONYMUS in cit. loc.

84 *Prob. II.* pars. Docent iidem Patres, Christum ideo interfuisse nuptiis in cana Galilææ, ut easdem sua præsentia sanctificaret, & ad dignitatem Sacramenti elevaret, prout sanctificavit aquas in Jordane suo contactu. Sic CYRILLUS Alexandrinus Epist. ad Nestorium, quam referunt Patres Concilii EPHESINI part. I. Cap. XXVI. „ Propter „ hanc etenim causam dicimus eum œconomice ipsis benedixisse nuptiis, & ad illa „ venisse vocatum una cum sanctis Aposto- „ lis. „ EPIPHANIUS hæres. LXVII. n. 6. „ Nam venerabiles esse nuptias, & Dei aspirante

„ rante gratia regnum obtinere, quis vel ex „ eo non agnoſcat, quod ad nuptias invitatus ſalvator ipſe fuerit, ut iis benediceret. „ S. Augustinus tract. IX. in Joan. „ Per hoc ergo Dominus invitatus venit ad „ nuptias, ut conjugalis caſtitas firmaretur, „ & oſtenderetur *Sacramentum* nuptiarum. „ Et S. Maximus Hom. I. de Epiphania Domini. „ Vadit ad nuptias Dei filius, ut quas „ dudum poteſtate conſtituit, nunc præſen- „ tiæ ſuæ benedictione ſanctificet. „

Prob. pars III. Per matrimonium inter fideles legitime contractum conferri gratiam. 85
Nam ex allegatis Patribus aliqui illud non ſolum gratiam conferre dicunt, ſed & *Sacramentum* diſerte compellant, alii benedictione ſacerdotali illud ſanctificari tradunt, quorum teſtimonia paſſim exſtant apud auctores, maxime Bellarminum, Juenin, Drouven, qui eſt auctor operis de re Sacramentaria, & Colletum Tournelii continuatorem, e quibus pauciſſima ſeligam. S. Ambrosius Lib. VII. de Abraham cap. 7. „ Cognoſcimus præſulem cuſtodemque con- „ jugii eſſe Deum, qui non patiatur alienum „ thorum pollui; & ſi quis fecerit, peccare „ eum in Deum, cujus legem violet, *gra-* „ *tiam* ſolvat. Et ideo quia in Deum pec- „ cat, *Sacramenti* cœleſtis amittit conſor- „ tium. „ S. Augustinus, qui fere unus pro Latinis ſufficere poſſet, variis in locis conjugium inter fideles *Sacramenti* nomine cele-

celebrat, & vinculum inde enatum indelebili Baptismi & ordinis characteri comparat, ac triplex illud bonum *fidei*, *prolis Sacramenti* aperte distinguit. Sic Lib. IX. de Genesi ad litteram cap. 7. „ Hoc nuptiarum „ bonum verum tripartitum est: fides, pro„ les, Sacramentum. In fide attenditur, „ ut præter vinculum conjugale cum *altera* „ vel cum altero non concumbatur. In „ prole, ut amanter suscipiatur, benigne „ nutriatur, religiose educetur. Sacramen„ to, ut conjugium non separetur, & dimis„ sus aut dimissa, etiam repudio interce„ dente, alteri non conjungatur. „ Et libro de bono conjugali cap. 18. „ In Chri„ stianorum nuptiis plus valet sanctitas ma„ trimonii, quam fœcunditas uteri. „ Lib. de fide & operibus cap. 7. „ In civitate Do„ mini, in monte sancto ejus, hoc est, in „ Ecclesia, nuptiarum non solum vinculum, „ sed etiam *Sacramentum* commendatur. „ Hic *vinculum*, quod etiam e nudo contractu naturali oritur, a *Sacramento*, ceu inter Christianos gratiam conferente, manifeste distinguit. Videatur & lib. de nuptiis & concupiscentia cap. 10.

86 *Probatur* denique argumento præscriptionis, & utriusque Ecclesiæ cum Latinæ, tum Græcæ, quamvis schismaticæ consensu. Et de Latinæ quidem Ecclesiæ fide constat e Concilio LATERANENSI III. cujus canon refertur cap. 9. *cum in Ecclesiæ.* de Simonia.

Ex

Ex cap. 9. *ad abolendam.* de hæreticis. E Concilio CONSTANTIENSI, in quo electus MARTINUS V. suspectos de hæresi interrogari mandavit, an credant, *quod Christianus contemnens susceptionem* SACRAMENTORUM *confirmationis, vel extremæ unctionis, vel solemnizationis* MATRIMONII, *peccet mortaliter.* E FLORENTINO, ubi in decreto ad Armenos matrimonium Sacramentis conferentibus gratiam accensetur. Et TRIDENTINO, quod id sub anathemate definivit.

Græcorum hoc in dogmate concordiam 87
docent Leo ALLATIUS, SCHELSTRATENUS, ARCUDIUS, apud quos exstant testimonia, quæ supra de extrema unctione recitavi. Illi enim omnes orientales etiam honorabiles nuptias Sacramentis ex perpetua Ecclesiæ traditione adnumerant, ut & Jeremias PATRIARCHA in censura adversus confessionem Augustanam, & Concilia adversus Cyrillum lucarin, Calvini errores in oriente spargentem, celebrata, quæ & ibidem allegavi.

OBJIC. I. Non fuit semper constans 88
traditio, matrimonium esse Sacramentum; nam hoc negarunt Magister sententiarum, DURANDUS & canonistæ plures. *ergo* &c.

II. Matrimonium nec confert primam gratiam; cum non sit mortuorum: nec secundam; nam virgo matrimonium contrahens, quæ jam ornata erat gratia sanctificante, non adquirit majorem: secus seque-

retur matrimonium præſtare virginitati, quod repugnat PAULO dicenti: Qui matrimonio jungit virginem ſuam, bene facit, qui non jungit, *melius* facit. *ergo*.

III. Si eſſet Sacramentum, non deberent ejus uſu, qui fuit a Chriſto omnibus conceſſus, quidam privari: atqui in Latina Eccleſia Clerici prohibentur nubere, *ergo* &c.

RESP. ad I. Traditio non debet deſumi ab uno alterove privato auctore, ſed a communi conſenſu Patrum maxime in Conciliis manifeſtato, quem jam oſtendi. Cæterum PETRUS LOMBARDUS, DURANDUS, & non nulli alii, a quibusdam excuſantur, ut videri poteſt apud viros celeberrimos, HABERT, BERTI, COLLETUM, & alios.

RESP. ad II. Status quidem virginalis eſt conjugato perfectior, quoniam non tanta habet impedimenta Domino deſerviendi. Quando autem aliquis libere eligit ſtatum conjugalem, cum plurima occurrant ſubeunda onera, & pericula, tunc indiget gratia Sacramentali, quæ eſt prioris augmentum, & conſiſtit inſuper in novo quodam habitu, ut de Sacramentis in genere dictum fuit.

RESP. ad III. Ideo Clerici in Latina Eccleſia prohibentur nubere, quoniam ſtatus conjugalis, ut eſt in officium naturæ inſtitutus, plura ſecum affert impedimenta, quæ homines cultui divino ſpecialiter deputatos in exequendis ſuis officiis non parum morarentur. Gratia autem Sacramenti matrimonii

nii carere possunt; tum quod simul liberi sint ab oneribus, pro quibus instituta fuit illa gratia, tum quod illa abunde suppleatur per gratiam ordinis, usum frequentiorem Sacramentorum, & alia auxilia actualia, quæ iis copiosius conceduntur, qui statu clericali aut monastico rite defunguntur. Accedit, quod Clerici libere se voto obligent, nec ante emissum votum a matrimonio arceantur.

Resolutio II. Christus matrimonium 89
ad dignitatem Sacramenti elevavit, quando in Cana nuptiis interfuit.

Colligitur assertionis hujus probabilitas tum ex SS. Patribus num. 84. cit. tum quod aliud tempus magis congruum assignari nequeat. Nam probabile est, Christum post Baptismi in Jordane institutionem venisse in Cana. Quando autem Matth. XIX. dixit: *quod Deus conjunxit, homo non separet*, nihil aliud voluisse videtur Christus, nisi ut libellum repudii reprobaret, atque illicitum ostenderet.

§. II.

De Ministro Sacramenti Matrimonii, hujusque materia & forma.

Connexæ sunt istæ quæstiones; nam a de- 90
terminatione ministri dependet materiæ & formæ determinatio: si minister statuatur sacerdos, facile patet, contractum civilem

inter conjuges initum conſtituere materiam, formam vero ſacerdotis verba, quibus illos in matrimonium Sacramentaliter ſpectatum conjungit. Qui contrahentes ſtatuunt miniſtros, non admodum conveniunt inter ſe. Communior tamen eſt aſſertio, mutuam traditionem juris in corpora habere locum materiæ, reciprocam vero acceptationem habere rationem formæ.

91 De miniſtro Sacramenti matrimonii a tempore Concilii Tridentini frequens eſt controverſia, cum ante illud communis ſcholaſticorum ipſos contrahentes exiſtimaverit eſſe miniſtros. Ipſo autem tempore celebrati Concilii Tridentini ea de re diſputari cæpit, Melchiore Cano ſententiam Guilielmi & non nullorum veterum reſuſcitante, ac miniſterium ſacerdoti vindicante. Nihil hac de re in Concilio Tridentino, quod opinionibus in ſchola controverſis ſolicite cavit, fuiſſe definitum, certum eſt. Hinc ſapienter monet SS. Benedictus XIV. de Synodo diæceſana Lib. VII. cap. XXVIII. n. 9. utramque ſententiam eſſe probabilem, ſuosque habere magnæ auctoritatis Patronos, atque inde non decere diſcant Epiſcopi, ut ipſi judicis partes aſſumant, quæſtionemque definiant, de qua Eccleſia nihil hactenus pronuntiavit, ſed theologorum diſputationi permiſit. Addit, cavendum iis eſſe in ſuis Synodis, ne aut Parochum, aut contrahentes ejusdem miniſtros appellent. Cum autem & ego

meo

meo ſuffragio nullum alterutri parti pondus adjicere valeam; utriusque ſententiæ potiora fundamenta cum ſuis reſponſis referre lubet.

Argumenta eorum,

qui contrahentes dicunt eſſe miniſtros.

I. Alegant numerum Doctorum, qui pro 92
ſua ſtant opinione. Præcipue S. THOMAM, qui in 4. ſent. diſt. XXVI. q. II. a. 1. ſcribit: „ verba, quibus conſenſus exprimitur, ſunt forma hujus Sacramenti, non autem benedictio ſacerdotis, quæ eſt quoddam Sacramentale. Quod repetit ad Annibalem. IV. diſt. XXVII, a. 2.

RESPONDENT Authores adverſi, S. THOMAM plures opiniones, quas in Magiſtrum commentando junior ſcripſerat, poſtea in Summa retractaſſe: quod forte etiam feciſſet, ſi Summam ætate non præventus conſummaſſet. Quin ajunt, extare quædam in Summa veſtigia, quæ ipſis faveant. Nam III. P. Q. LXXXIII. A. 3. ad 8. *diſpenſatio Sacramentorum pertinet ad miniſtros Eccleſiæ.* ubi loquitur in genere, nec matrimonium excipit. Item II. IIdæ. Q. 100. A. 2. ad 6. „ Dare pecuniam pro matrimonio, in „ quantum eſt Eccleſiæ Sacramentum, eſt „ illicitum, & ideo ſecundum jura prohibe- „ tur, ne pro benedictione nubentium ali-

 quid

„ quid exigatur. „ Denique in ſupplemento Quæſt. 8. a. 1. „ ſolus ille miniſter eſt „ Sacramentorum, in quibus gratia datur, „ qui habet miniſterium ſuper Chriſti corpus „ verum, quod ſolius eſt ſacerdotis. „ Hæc cum adverſariorum opinione non cohærent. Dicent etiam, cum Eccleſia relinquat diſputandi licentiam, non poterit eidem officere S. THOMÆ auctoritas, etiamſi certo pro adverſariis ſtare cognoſceretur.

93 PROBANT II. Ex Concilio FLORENTINO, ſeu decreto EUGENII IV. ad armenos, „ ubi dicit: „ cauſa efficiens matrimonii „ regulariter eſt mutuus conſenſus, per verba de præſenti expreſſus. „

RESPONDENT, EUGENIUM explicari commode poſſe de matrimonio in ratione contractus conſiderato.

94 PROBANT III. Concilium TRIDENTINUM Seſſ. XXIV. Cap. I. ait: Clandeſtina „ matrimonia libero contrahentium conſenſu facta, *rata* & vera eſſe matrimonia, „ quamdiu Eccleſia ea irrita non fecit. „ Atqui matrimonium *ratum* eſt Sacramentum. Ergo matrimonium clandeſtinum absque præſentia parochi celebratum eſt Sacramentum: conſequenter ſacerdos non eſt miniſter, *min. prob.* INNOCENTIUS III. Cap. *quanto.* de divortiis, ait, „ Etſi matrimonium ſit verum, „ quod inter fideles exiſtit (nimirum in ratione contractus) non eſt tamen *ratum;* „ inter fideles autem verum quidem & *ratum*

„ *ratum* exiſtit; quia Sacramentum fidei, „ quod ſemel admiſſum nunquam amittitur, „ *ratum* efficit conjugii *Sacramentum*.

RESPONDENT Patroni ſacerdotis, TRIDENTINUM loqui de matrimonio in ratione contractus, quem a Sacramento ſeparari poſſe non dubitant. ad probat. *min.* ajunt, INNOCENTIUM loqui de matrimonio fidelium licite contracto, nempe a ſacerdote benedicto; tunc enim habet *practicam* ſignificationem conjunctionis Chriſti cum Eccleſia, & inſuper collationem gratiæ: cum tamen matrimonium fidelium, absque ſacerdotis benedictione celebratum, illam conjunctionem ſolum *ſpeculative* ſignificet, nimirum ſine collatione gratiæ. Econtra matrimonium infidelium *late* ſolum dicitur Sacramentum, quia generice ſignificat conjunctionem Chriſti cum Eccleſia: ſicut matrimonium Adæ, & cætera ante Chriſti adventum, quæ tamen *proprie* dicta Sacramenta non erant.

Nec obeſt *το conjugii Sacramentum:* quaſi 95
omne matrimonium fidelium verum eſſet Sacramentum; nam etiam cap. VIII. eodem titulo ait idem Pontifex: *Cum* SACRAMENTUM *conjugii apud fideles, & infideles exiſtat* &c. quo loco *Sacramentum* debet ſumi in ſenſu improprio, jam explicato. Dein agit ibi INNOCENTIUS de matrimonii *indiſſolubilitate*, quam ait *abſolutam* inter fideles; quia ſicut Sacramentum fidei, id eſt, Baptismus ſemel ſuſceptus, propter characterem indelebilem

amitti non poteſt, ita nec vinculum conjugii: cum econtra matrimonia infidelium aliquo ſaltem caſu, nempe per tranſitum unius ad Chriſtianam Religionem, ſolvi poſſint. Hinc ait non eſſe *rata*, id eſt, non *abſolute indiſſolubilia.*

96 Probant IV. Si ſacerdos eſſet miniſter, tunc forma eſſent illa verba, quæ refert etiam Concilium Tridentinum: *ego vos conjungo* &c. atqui hæc non ſunt forma: *ergo* &c. *min. prob.* Illa verba, aut illis æquivalentia, non reperiuntur ubique & in omnibus Ritualibus, ut probat Martene de antiquis Eccleſiæ ritibus Tom. II. Lib. I. Cap. IX. Art. III. n. 6. alicubi enim reperiuntur hæc: *quod Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Imo adhuc hodie formulæ illæ variant pro diverſitate diæceſium, quod Eccleſia utique non toleraret, ſi hæc verba pro forma Sacramenti haberet.

Respondent. Cum Chriſtus formas Sacramentorum *in individuo* non determinaverit, ut patet de forma confirmationis, pœnitentiæ, extremæ unctionis, ordinis; ideo pro Eccleſiarum temporumque diverſitate poſſunt eſſe variæ *grammaticaliter*, dummodo retineatur ſenſus *Theologicus* quoad ſubſtantiam, & deſignationem effectus Sacramenti. Quod attinet ſilentium plurium Ritualium, reponi poteſt, ibi extare verba ſaltem *æquivalentia:* aut ſupponi, ea ſacerdotem aliunde habere comperta, facileque ex recitatione

ne precum consuetarum eorum recordari. vide quæ dicta sunt de forma confirmationis. Tom. X.

PROBANT V. Si sacerdos est minister, 97
tunc Catholici, inter hæreticos vel infideles constituti, & continere non valentes, sacerdote destituti non possunt contrahere Sacramentum matrimonii, ad quod tamen habent jus, quod est absurdum. Ergo Sacerdos non est minister.

RESPONDENT I. *retorquendo* in Sacramentum confirmationis, Evcharistiæ, pœnitentiæ, extremæ unctionis, ad quæ pariter jus habent, sed per accidens, defectu ministri, eorum carent usu. 2. Possunt contrahere civiliter, quin fiat Sacramentum.

PROBANT VI. Matrimonia Clandestina 98
ante TRIDENTINUM Concilium, & nunc in locis, ubi non est promulgatum, non erant meri contractus civiles; quia eorum judicium spectat ad forum Ecclesiasticum, ut definit TRIDENTINUM Concil. Sess. XXIV. Can. XII. ergo sine sacerdote celebrata sunt Sacramentum.

RESPONDENT *neg. antec.* & suppositum causalis. Non enim ideo causæ matrimoniales ad forum Ecclesiasticum pertinent, quia semper sunt Sacramentum: Sed 1. quia contractus civilis est materia Sacramenti matrimonii, & ad Sacramentum ordinatus; ita ut ratio Sacramenti a contractu inter Christianos licite separari nequeat, saltem ordina-

rie. Ex eadem ratione etiam ſponſalia de futuro, quamvis Sacramentum non ſint, ad judicium Eccleſiaſticum pertinent. 2. Quia matrimonium, etiam ut contractus civilis, parit vinculum indiſſolubile; cumque illud ſit ſpirituale, utpote ortum ex ſignificatione unionis Chriſti cum Eccleſia, ad Eccleſiam autem ſpectet judicium rerum ſpiritualium: hinc etiam Eccleſiæ eſt, de matrimonii contractu judicare.

99 Probant VII. Secundæ nuptiæ ſunt verum matrimonium & Sacramentum novæ legis, atqui illæ non benedicuntur a Sacerdote, ſive in Latina Eccleſia, ut probat cap. I. de ſecundis nuptiis. ſive in Græca, ut patet ex Can. VII. Concil. Neocæſareenſis ſupra n. 49.

Respondent cum SS. Benedicto XIV. loc. cit. n. VII. hoc argumentum inane & fallax eſſe; nam quamvis ſecundæ nuptiæ non benedicantur ea ſolenni benedictione, quæ continetur in ſpeciali Miſſa pro ſponſo & ſponſa, ut tamen validæ ſint, debent eodem modo coram Parocho contrahi, qui eodem plane ritu, eademque verborum formula: *ego vos conjungo*, utitur.

100 Probant VIII. In locis, ubi Tridentinum obligat, contingit non raro, virum & fœminam matrimonium inter ſe contracturos inopinantem parochum adire, & coram eo, quamvis invito & reluctante, ac duobus teſtibus, itidem fortuito adſtantibus, mutuum in

in conjugium consensum exprimere, atque inde statim se subducere, quin Parochus ullum nisi forte objurgationis verbum protulerit. Jam si ejusmodi matrimonium non foret Sacramentum, Ecclesia fideles hortari & compellere deberet, ut contractum suum coram Parocho renovent, & ab ejus forma Sacramentum perficiatur: ne ejusmodi conjuges gratia Sacramenti perpetuo destituti maneant, qua tamen summopere indigent: atqui Ecclesia renovationem non urget. Ergo signum est, quod etiam matrimonium absque sacerdotis benedictione celebratum pro Sacramento habeat.

Responderi potest, Ecclesiam ideo forte non urgere talem matrimonii renovationem; quia ex una parte certum non est, an Matrimonium prius in ratione contractus absque Sacramento valide celebratum, deinceps Sacramenti naturam induere possit, ut bene multi negant; ut enim perficiatur Sacramentum, adesse debet materia: atqui in tali casu non adest materia nempe contractus; contrahere enim de novo non possunt, cum non possint sibi jus reciprocum in corpora tradere, quod jam ante per validum contractum habent. Nemo enim accipit, quod jam habet. Nec dat, quod jam dedit, & a se transtulit. Ex altera parte Ecclesia etiam non urget renovationem matrimonii gentilium, cum ad fidem Catholicam transeunt; quod certe non est Sacramentum:

nec

nec hæreticorum, qui etiamſi eſſent miniſtri, gratiam tamen Sacramenti in hæreſi certo non receperunt. Ideo autem renovationem non urget; quia praxis illa puſillis poſſet eſſe periculo dubitandi, de valore prioris matrimonii, etiam in ratione contractus. Cæterum conſtat mihi de caſu, ubi ſic furtive contrahentes ab Epiſcopo fuerunt compulſi, ut coram proprio Parocho matrimonium renovarent: nec dubito, ita ſæpius contigiſſe. Accedit, quod gratiam Sacramentalem aliis modis, v. g. uſu Sacramentorum aliorum &c. compenſare valeant, aut ſibi ejus carentiam adſcribere debeant, quippe qui libere & malitioſe eadem ſe ipſos privarunt.

101 PROBANT IX. Circumfertur declaratio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, qua ſtatuitur, hæc Concilii Tridentini verba: *ego vos in matrimonium conjungo*, non pertinere ad eſſentiam matrimonii. Ergo non ſunt forma, nec ſacerdos neceſſarius miniſter.

RESPONDENT. URBANUS VIII. anno 1631. promulgavit conſtitutionem, ubi detrahitur fides collectioni declarationum Cardinalium, quas inter eſt etiam allegata, niſi exhibeantur in forma authentica cum ſubſcriptione Præfecti, Secretarii, & ſigillo. Dici etiam poſſet, Cardinales velle, verba illa non pertinere ad eſſentiam Matrimonii in ratione contractus; de Sacramento autem

nihil

nihil decidere voluerunt, aut voluiſſe cenſendi ſunt.

Rationes eorum,

qui miniſtrum ſtatuunt Sacerdotem.

I. Sacerdotes jure divino ſunt miniſtri Sacramentorum ordinarii, & diſpenſatores myſteriorum Dei: atqui ab hac regula nullibi excipiuntur matrimonia, *ergo* &c. dein ſi contrahentes eſſent miniſtri, tunc laici & fœminæ eſſent miniſtri *ordinarii* alicujus Sacramenti: quod videtur Patribus repugnare, quorum non nulli fœminas & laicos etiam in neceſſitate valide quidem baptizantes a peccato non excuſant. 102

Respondent, Sacerdotes eſſe miniſtros Sacramentorum aliorum, quæ vel requirunt *characterem ordinis*, vel poteſtatem *jurisdictionis:* matrimonia vero, cum ſint tantum contractus legitimi, neutrum per ſe requirunt. Porro quod fœminæ ſint miniſtri *ordinarii* Sacramenti matrimonii, non quidem ſolennitatis, ſed neceſſitatis, inde provenit; quia ſunt neceſſaria Perſona & cauſa efficiens contractus, qui inter Chriſtianos eo ipſo eſt Sacramentum, quod ſit legitimus.

Probant II. Juxta Concilium Tridentinum omnia Sacramenta tribus perficiuntur, materia, forma, & intentione miniſtri faciendi quod facit Eccleſia. Atqui hæc inten- 103

ten-

tentio non videtur esse in contrahentibus; cum illi plerumque de Sacramento non cogitent, sed solum de copula carnali. Ergo hæc intentio debet esse in sacerdote.

Respondetur, duplicem esse in contrahentibus intentionem seu consensum: primum in matrimonium, prout est ordinatum in officium naturæ. Alterum, ut contrahant ad mentem Christi, & efficiendo Sacramentum consequantur gratiam pro sanctitate matrimonii, & sustinendis facilius oneribus necessariam: uterque autem in fidelibus supponitur.

104 Probant III. Si contrahentes sunt ministri, tunc sequitur, quod non raro ipsa carnalis copula efficiat Sacramenti formam, quod videtur absurdum; cum juxta S. Augustinum Sacramentorum formæ sint sanctissimæ. sequela probatur. Ante Concil. Tridentinum & nunc, ubi non est promulgatum, sponsalia de futuro per subsequentem copulam transibant in verum matrimonium, seu efficiebant consensum de præsenti: atqui consensus juxta adversarios esset forma: ergo hoc casu copula carnalis, tanquam realis consensus, esset forma Sacramenti.

Respondent, etiam hoc casu consensum de futuro, quatenus per copulam transit in præsentem, esse formam, non autem ipsum carnale commercium.

Pro-

Probant IV. Si contrahentes ſunt mi- 105
niſtri, tunc eorum verba eſſent forma Sacramenti: ſed hoc dici nequit; forma enim debet exprimere effectum Sacramenti, hoc eſt gratiam. Atqui verba ſponſorum non exprimunt gratiam, ſed ſola verba ſacerdotis benedicentis. Ergo.

Respondebunt, ipſe conſenſus verbis expreſſus, quatenus ſignificat unionem Chriſti cum Eccleſia, implicite etiam gratiam huic ſignificationi annexam exprimit.

Probant V. Si contrahentes ſunt mi- 106
niſtri, tunc vel alter alteri, vel uterque ſibi adminiſtrat Sacramentum. Non primum; quia unus ſolus non eſt miniſter adæquatus. Non ſecundum; quia in aliis Sacramentis miniſter diſtinguitur a ſubjecto. Ita nemo ſe baptizare, abſolvere, confirmare &c. poteſt.

Respondent. Utriusque conſenſu perfici Sacramentum, & debite diſpoſitis utrique conferri gratiam Sacramenti. Cumque vir & uxor ſint cauſa efficiens contractus, qui a Chriſto ad Sacramentum eſt elevatus, non mirum, quod etiam ſint cauſa miniſterialis gratiæ, quæ eſt effectus Sacramenti.

Probant VI. Juxta Tridentinum 107
Concilium ad Sacramenti valorem requiritur præſentia Parochi cum verbis, *ego vos conjungo.* Hæc verba non poſſunt pertinere ad contractum, quem non efficit ſacerdos, nec conjungit conjuges. Ergo debent ſpectare Sacra-

Sacramentum, ut habeant hunc ſenſum: *ego veſtrum contractum de ſe naturalem & civilem efficio Sacramentalem.* Secus haberent hunc ſenſum. *Ego vos declaro conjunctos*, quod eſt contra mentem omnium fere antiquorum, & contra ſenſum aliarum formarum Sacramentalium.

Respondent. Verba illa ſolum efficiunt ceremoniam & ſolennitatem ſacram, habentque hunc ſenſum, ego matrimonio veſtro aſſiſtendo bene precor, & mea præſentia efficio validum. Accedit, quod illa quandoque omittantur. In Rituali Salisburgenſi his utitur verbis ſacerdos aſſiſtens: *Matrimonium in facie Eccleſiæ inter vos contractum, Deus confirmet: & ego illud approbo, perficio, atque ſolennizo in Nomine P. & F. & Sp. S. Amen.*

108 Probant VII. Alexander III. Cap. *cum in Eccleſia* 9. de ſimonia, benedictionem nuptialem adnumerat aliis Sacramentis; ait enim: „ horribile eſt, quod pro ſepultura & „ exequiis mortuorum, & benedictionibus „ nubentium, & aliis Sacramentis aliquid „ requiratur. „

Respondetur, verba ſacerdotis eſſe benedictionem Sacramenti, quod contrahentes conficiunt, non autem formam ejusdem, ſed mere aliquid ceremoniale, ſeu Sacramentale, pro quibus aliquid recipere, cum ſit ſpirituale, utique eſt ſimoniacum.

109 Probant VIII. Multi Patres & Concilia dicunt, matrimonia eſſe a ſacerdote benedi-

nedicenda: ſecus non eſſe *legitima*, ejus omiſſionem eſſe *ſacrilegium*, & ſimilia, quæ habet præter alios Clariſſ. D. Amort. *ergo* &c.

Respondent, requiri benedictionem ad hoc, ut *licita* ſint conjugia, & fructum Sacramenti conſequantur. Dicuntur *illegitima*; quia non juxta leges Eccleſiæ celebrata. Omiſſio dicitur *ſacrilegium*; quia contrahendo contra præceptum Eccleſiæ Sacramentum illegitimum, id eſt, cum peccato ſacrilege adminiſtrant. Omne enim peccatum in adminiſtratione Sacramenti commiſſum ſacrilegium eſt.

Probant IX. Romani Pontifices quandoque diſpenſarunt, ut Catholicus cum hæretica contraheret, quod alias eſt illicitum, uti Urbanus VIII. 1625. conceſſit, ut Henrica Ludovici XIII. Regis Chriſtianiſſimi filia nuberet Carolo anglorum Regi hæretico, ob publicam fidei Catholicæ utilitatem, & cum conditionibus fidei noſtræ maxime faventibus. Habert de cultus diſparitate. Jam niſi ſupponatur Sacramentum hoc caſu ſeparari a contractu, ſequeretur in opinione adverſariorum, quæ contrahentes facit miniſtros, partem Catholicam hæretico adminiſtrare Sacramentum, & recipere illud ab hæretico, quod eſt juri divino contrarium; cum nec liceat ſanctum dare canibus, nec ab improbo miniſtro Sacramentum extra caſum neceſſitatis recipere. Niſi autem Pon- 110

tifex suppofuisset, Sacramentum a contractu separari posse, nunquam potuisset consentire in rem intrinsece malam, & jure divino prohibitam. Imo addunt, Clementem VIII. quando dispensavit cum Duce Barriensi, ut Catharinam Henrici IV. Christianissimi Regis sororem hæreticam duceret, præcepisse, denegandam esse benedictionem sacerdotis: utique non alia ex causa, quam ut ejus defectu iniretur matrimonium solum in ratione contractus, nec Sacramentum exponatur gravissimo sacrilegio? at vero si sacerdos est minister, omnis evanuit difficultas.

Responderi potest ad hoc, ut videtur, difficillimum argumentum, supposita veritate dispensationum Pontificiarum, Pontifices secutos fuisse sententiam probabilem de separabilitate contractus a Sacramento: aut dicendum, Catholicum sibi tantum dispensare Sacramentum, non autem comparti hæreticæ, nec ab ea recipere. Quod tamen ab illa quæstione dependet, an contrahentes, ut sunt causa reciproca contractus, non sint etiam causa efficiens reciproca Sacramenti, quod utique verosimilius videtur.

Respondent alii, non peccare contrahentes in peccato; eoquod sint ministri necessitatis, non solennitatis, ut patet in laico baptizante in necessitate. Sed hæc responsio parum firma videtur; quia contrahentes essent ministri ordinarii, adeoque solennitatis.

tis. Neque enim tanta eſt in matrimonio neceſſitas, quanta in baptismo occurrere poteſt.

Atque hæc ſunt præcipua utriusque opinionis fundamenta, quæ recenſuiſſe ſufficiat. Judicio Eccleſiæ & ſapientioribus reſervato.

§. III.

An ratio Sacramenti a contractu matrimonii inter fideles ſeparari valeat?

Quod matrimonia ab infidelibus ſecundum 111
naturales & civiles ſuorum locorum leges inita in ratione contractus valeant, defectu tamen baptismi, qui eſt Sacramentorum omnium fundamentum, aliarumve conditionum Sacramenti dignitatem non conſequantur, extra dubium omne poſitum eſt. De eo ſolum movetur controverſia, an inter fideles valide contrahi poſſit matrimonium, quin rationem Sacramenti ſortiatur: quod neceſſario affirmant auctores, qui Sacramenti miniſtrum ſupponunt eſſe Sacerdotem; cum enim matrimonia in locis Concilii Tridentini non recepti clandeſtine ſine ſacerdotis benedictione celebrata Sacramenta eſſe negent, in ratione autem contractus naturalis & civilis valida agnoſcant, eo ipſo inferunt, rationem Sacramenti a contractu ſe-

parari. Sed & illorum non nulli, qui contrahentes ſupponunt eſſe miniſtros, idem cum prioribus affirmant.

112 Resolutio. Inter Chriſtianos *valide* contrahi poteſt matrimonium in ratione ſolius contractus, quin habeat rationem Sacramenti.

Dixi *valide*; *licite* enim vix unquam facient, contra Chriſti inſtitutionem & leges Eccleſiæ agentes.

Prob. I. Ut perficiatur Sacramentum, requiritur in miniſtro intentio interna faciendi, quod facit Eccleſia, ex dictis de Sacramentis in genere. Atqui poteſt contingere, ut ſive contrahentes, ſive ſacerdos hanc intentionem non habeant, ſed potius interne proteſtentur, ſe nolle conficere Sacramentum, ſed contractum naturalem ſolum & civilem inire: quo caſu non erit Sacramentum, ut ibidem dictum eſt: *ergo* &c. *min.* confirmatur. In omni alio Sacramento intentio miniſtri contraria id efficere poteſt, ut res cæteroquin a Chriſto ad Sacramenti dignitatem elevata in eſſe tantum naturali permaneat. e. g. in Baptismo, aqua & forma prolata cum intentione tantum profane abluendi, non conſtituet Sacramentum: ergo etiam contractus matrimonii, quamvis fuerit a Chriſto ad Sacramenti dignitatem elevatus, quia tamen ab eo ratio contractus naturalis & civilis non fuit ablata, in eſſe naturali permanebit, quando miniſter id expreſſe intendit.

Quo

Quo quidem casu peccabit haud dubie, quia facit contra institutionem Christi, privando contractum dignitate Sacramenti, se autem gratia Sacramentali. Sacramentum tamen non conficietur, sicut contingit in aliis Sacramentis.

Prob. II. Sicut Christus matrimonii 113 contractum, ita etiam pœnitentiæ virtutem ad rationem Sacramenti elevavit; atqui pœnitentiæ virtus a ratione Sacramenti separari potest, quando vel pœnitens se non subjicit confessario, aut non vult recipere Sacramentum, aut si confessarius solum ficte absolvit: ergo etiam contractus matrimonii a Sacramento separari potest vel ob defectum benedictionis sacerdotis, vel intentionem nubentium.

Prob. III. Juxta frequentiorem senten- 114 tiam matrimonium in infidelitate contractum, si postea sponsi ad fidem convertantur, non induit rationem Sacramenti ex ratione n. 100. assignata, & etiam, quia quod ab initio non valuit, tractu temporis convalescere non potest. Ergo habetur casus, ubi matrimonium Christianorum solum est contractus civilis absque Sacramento.

Prob. IV. Juxta communem senten- 115 tiam valent matrimonia inter absentes per procuratorem contracta: atqui hoc casu nequeunt esse Sacramenta, *ergo* &c. *min. prob.* nullum aliud Sacramentum potest administrari physice & moraliter absenti, quod, præ-

ſcindendo etiam a reliquis Sacramentis, quæ cum habeant materiam phyſicam, requirunt etiam præſentiam phyſicam, probatur a pari de Sacramento pœnitentiæ. Hoc non poteſt adminiſtrari abſenti, etiamſi habeat rationem judicii, quod cæteroquin poteſt circa abſentes verſari. Ergo nec matrimonii Sacramentum poteſt adminiſtrari *abſenti*, quamvis alias contractus inter abſentes iniri valeant. Id quod multo minus procedit in ſyſtemate Theologiæ Peripatetico-Thomiſticæ, ubi Sacramenta phyſice producunt gratiam, & actio tamen in diſtans negatur.

116 *Prob. V.* Si non poteſt ſeparari contractus a matrimonio, tunc in principiis illorum, qui ſacerdotem faciunt miniſtrum, Catholici inter infideles conſtituti, & ſacerdote deſtituti, nec tamen continere valentes, non poſſent inire matrimonium, ad quod tamen habent jus, imo in his circumſtantiis ad illud obligantur: quod videtur abſurdum.

117 *Prob. VI.* Juxta regulas Juris beneficium non obtruditur invito, & quisque poteſt renuntiare favori pro ſe inducto: atqui ut matrimonium ſit Sacramentum, eſt in beneficium & favorem contrahentium introductum, ergo ſi velint, eidem renuntiare poſſunt, quamvis renuntiando peccent. Denique huc faciunt omnia fere illorum argumenta, qui ſacerdotem ſtatuunt eſſe miniſtrum.

§. IV.

An soli Ecclesiasticæ potestati, non autem civili competat jus statuendi impedimenta Matrimonii dirimentia.

De impedimentis late & necessario pertractant tum Theologi morales, tum Juris 118
Ecclesiastici interpretes: & notum est, alia esse solum *impedientia*, alia etiam *dirimentia*, eaque vel jure naturæ vel humano. Negavit LUTHERUS, eam potestatem Ecclesiæ competere, eoquod matrimonium esset solum contractus naturalis & civilis, causæ autem civiles ad sæculares judices pertineant: quem propterea Canon. IV. damnavit Concilium Tridentinum Seff. XXIV. insurrexit postea LAUNOJUS Doctor sorbonicus, & in suo tractatu *de regia in matrimonium potestate* contendit, Ecclesiæ nomine intelligi Principes sæculares, quorum nomine, sive per quos Ecclesia statueret impedimenta. De quo nunc inquirendum, uti etiam, an cuilibet Ecclesiasticæ potestati, consequenter etiam Episcopis pro sua diœcesi, competat facultas impedimenta dirimentia ponendi; cum tamen velut certum supponam, matrimonia infidelium, cum sint merus contractus naturalis & civilis, jurisdictioni laicali esse subjecta, a qua limitari poterunt, uti etiam contractus alii.

119 RESOLUTIO I. Soli Ecclesiæ, non autem potestati sæculari, competit potestas statuendi impedimenta dirimentia, & judicandi causas matrimoniales. ita Trident. cit. can. & Can. XII.

Prob. I. pars. Semper Ecclesia hac potestate usa fuit: atqui nunquam sibi arrogavit potestatem non competentem, *ergo* &c. *maj. prob.* PAULUS Apostolus prohibuit matrimonium fidelis cum infideli. II. Corinth. VI. 14. *nolite jugum ducere cum infidelibus*, prout hoc sensu exponit HIERONYMUS: Apostolum *non ignoscere iis, quæ cum Christianæ essent, nupserunt gentilibus.* Hinc etiam TERTULLIANUS toto Lib. II. *ad uxorem* tantopere urget, ne post mortem suam nubat alteri viro Ethnico, quod lege novi testamenti sit prohibitum. S. BASILIUS Epist. ad Diodorum ait de viduo, qui sororem mortuæ suæ conjugis duxerat: „ Principio igi„ tur, quod in hujusmodi rebus maximi mo„ menti est, morem qui apud nos est, obji„ cere possunt, quod is legis vim habeat, „ propterea quod sanctiones istæ a sanctis „ viris sint traditæ. „ S. AUGUSTINUS de civit. Dei Lib. XV. 16. „ Quis dubitet, ho„ nestius hoc tempore etiam consobrinarum „ prohibita esse matrimonia? „

120 *Prob. II.* Eadem potestate usa fuerunt Concilia. Sic NEOCÆSAREENSE de affinitate statuit: „ Mulier si duobus fratribus nu„ pserit, abjiciatur usque ad mortem: ve-

„ rum

„ rum tamen in exitu ſi promiſerit, quod u-
„ bi convaluerit, ſolvet matrimonium, pro-
„ pter humanitatem pœnitentiam habebit.„
De eodem impedimento. ſcribit S. BASILIUS Epiſt. ad Amphiloch. Concilium ELIBERITANUM Can. XV. ſtatuit, ne Chriſtianæ virgines gentilibus in matrimonium collocentur. & Can. XVI. ne conjungantur hæreticis. Can. LXI. & LXVI. docet inceſtas eſſe nuptias cum ſorore uxoris ſuæ, aut privignæ. Concilium ANCYRANUM Can. XI. decrevit, nullum eſſe matrimonium cum deſponſatis puellis a viro raptis, quamvis raptor delibaverit florem virginitatis. Concil. CHALCEDONENSE Can. XVI. tradit, non licere Monacho & virgini Deo conſecratæ nuptialia jura contrahere. Concilium AGATHENSE Can. VI. plures conſanguinitatis gradus aſſignat, qui inceſtam reddunt conjunctionem. Pari modo Concilia ſequentium ſæculorum.

Prob. III. Romani Pontifices pari po- 121
teſtate uſi fuerunt. SIRICIUS Epiſt. ad Hymmerium Tarrocon. prohibuit, ne monachi aut ſacræ virgines connubia contrahant, *cum id Eccleſiaſtica jura condemnent.* INNOCENTIUS I. Epiſt. IX. ad Probum, ſententiam protulit de impedimento ligaminis, cum quo uxor viri de captivitate rediit, & poſterius matrimonium ſolvendum ſtatuit. GREGORIUS M. ab AUGUSTINO Anglorum Epiſcopo circa gradus conſanguinitatis & affinitatis interrogatus, congrua eidem reſponſa dedit,

 nulla

nulla declarans matrimonia, intra primum & ſecundum gradum conſanguinitatis contracta. ZACHARIAS Romanus Pontifex in Synodo Romana revocavit indulgentiam poſt gradum quartum nubendi a GREGORIO II. germanis recenter ad fidem converſis conceſſam. NICOLAUS Primus in reſponſ. ad conſulta Bulgarorum definiit certos gradus conſanguinitatis, qui matrimonium redderent irritum. Atque ita poteſtas illa usque ad Concilium Trident. propagata fuit.

122 *Prob. II.* pars. Chriſtiani principes conſtanter agnoverunt, eam poteſtatem competere Eccleſiæ, nec unquam ſibi eam arrogarunt, quod conſtat partim ex ipſorum ſilentio, partim ex eo, quod ipſimet a Romana ſede in impedimentis diſpenſationem petierint, & impetraverint. CAROLUS M. Lib. VI. Capitular. n. 7. agnoſcit, Principes eſſe executores Canonum Eccleſiaſticorum circa Matrimonia ſancitorum: „ De reliquis vero „ propinquis, ait, juxta conſtituta ſanctorum Patrum, & juxta decreta Canonum „ judicetur. „ Tempore Concilii TRIDENTINI inſtabant oratores Gallicani, ut matrimonia Clandeſtina, & a filiisfamilias *ſine* conſenſu parentum inita, declarentur nulla. Igitur agnovit Rex Chriſtianiſſimus, eam poteſtatem non ſibi, ſed Eccleſiæ competere.

123 Hinc etiam facile ſequitur, judicia de cauſis matrimonialibus ad Eccleſiam ſpectare; partim quia ſunt contractus, ad Sacramen-

mentum per modum materiæ ordinati: partim quia ejus eſt judicare de valore, cujus eſt ſtatuere impedimenta. Ideo etiam in cauſis dubiis Matrimoniorum non ſolum fideles, ſed Principes quoque ad Eccleſiæ tribunal confugerunt, & de ejus judicio matrimonia diremerunt, repudiatis prioribus uxoribus propter impedimentum ab Eccleſia declaratum.

Objic. I. Eccleſia non poteſt mutare 124
materiam Sacramenti: ſed ſi ſtatueret impedimenta dirimentia, mutaret materiam Sacramenti, quia contractus jure naturæ validus redderetur invalidus. *ergo* &c.

Resp. Nego *min.* Nam per impedimentum adjectum non mutatur materia; hæc enim eſt contractus legitimus. Quis vero ſit contractus legitimus, determinandum reliquit Chriſtus ſuæ Eccleſiæ. Quemadmodum etiam Princeps Ethnicus, dum leges ſtatuit matrimoniis ſuorum ſubditorum, non mutat materiam contractus naturalis, nec ejus eſſentiam, quæ conſiſtit in conſenſu juxta leges poſito.

Objic. II. Deus ipſe in levitico præſcri- 125
pſit impedimenta: ergo nulla debent ab Eccleſia ſuperaddi.

Resp. Præſcripſit quidem Deus impedimenta in levitico pro ſolis Hebræis, & ad tempus: non tamen prohibuit, ne alia iis poſſent ſuperaddi, maxime ab Eccleſia Chri-

ſtia-

ſtiana, quæ accepit poteſtatem illimitatam ligandi & ſolvendi.

126 Objic. III. Si Eccleſia poteſt ſtatuere impedimenta matrimonii, quia materia Sacramenti ſpectat ad forum Eccleſiæ, tunc etiam Principes laici poterunt ſtatuere, quia matrimonium eſt ſimul contractus civilis, cujus judicium ſpectat ad Principes laicos. Ergo non ſola Eccleſia. Et ideo S. Thomas Lib. IV. contra gentes cap. 78. ait: „ Matrimonium in quantum ordinatur ad bonum politicum, ſubjacet ordinationi civilis „ legis: in quantum autem ordinatur ad bonum Eccleſiæ, oportet quod ſubjaceat regimini Eccleſiaſtico.

Resp. *Diſt.* Principes laici poſſunt ſtatuere impedimenta, quantum ad effectus civiles, v. g. dotem, hæreditatem, nobilitatem ſtatus &c. *conc.* quoad effectum principalem, qui eſt vinculum e conſenſu & valore Sacramenti ortum, *nego* vel *ſubdiſt.* poſſunt id *per ſe* loquendo, niſi ſimul haberet rationem Sacramenti, *conc.* poſſunt id etiam modo, *nego*. Poſtquam enim contractus de ſe naturalis & civilis a Chriſto elevatus fuit, ut eſſet materia Sacramenti, eo ipſo laicorum poteſtati ſubtractus, ſolique Eccleſiaſticæ ſubjectus fuit. Cum enim ipſa poteſtas politica ſubordinata ſit poteſtati Eccleſiaſticæ, tanquam finis inferior ſuperiori, ideo ne concordia ſacerdotium inter & imperium cum maximo reipublicæ detrimento rumpatur,

tur, ita Chriſtiani Principes leges ſuas temperare debent, ne Eccleſiaſticæ jurisdictioni, ipſique ordinationi divinæ quoddam præjudicium inferatur: id quod hactenus religioſe obſervarunt. Secus enim ſequeretur, matrimonium, quod Eccleſia validum agnoſcit, irritum eſſe pro foro civili, & ita per Deum & Eccleſiam conjunctos a Judice ſæculari ſeparari poſſe, cum maximo ſcandalo. Quodſi aliquando contingeret, a Magiſtratu civili urgente neceſſitatis caſu & ex cauſa maxime rationabili impedimentum dirimens ſtatui, non dubito, quin & Eccleſia conſenſum ſuum ſuperaddere, illudque impedimentum ſua etiam auctoritate dirimens efficere vellet, argumento cap. I. *de novi operis nuntiatione.*

Objic. IV. Imperatores Chriſtiani olim ſtatuebant impedimenta, e. g. Theodosius inter conſobrinos, Justinianus impedimentum adoptionis &c. quæ Eccleſia non ſolum non reprobavit, ſed obſervari voluit. *ergo* &c. 127

Resp. Imperatores ſtatuebant impedimenta quoad effectus civiles: quæ tamen Eccleſia propter eorum æquitatem recipiendo approbavit etiam quoad effectum vinculi.

Objic. V. In Gallia per leges Regias nullum eſt matrimonium filiifamilias ſine conſenſu parentum contractum, & dirimi præcipitur, quamvis jure Canonico valeat: ergo Reges Galliæ ſtatuunt impedimenta dirimentia. Cur non & alii Principes? 128

Resp.

Resp. *Dist.* Nullum est, quoad effectus civiles, *conc.* quoad valorem consensus & vinculum, *neg.* namque commissarii Regii a Clero Gallicano interrogati, Ludovici XIII. nomine responderunt, verbum, *invalida*, quod legitur in edicto Blesensi Henrici III. non aliter explicandum, quam per solam relationem ad contractum civilem. vid. Benedictum XIV. *de Synodo diœcesana* Lib. VII. Cap. XXXVII. si autem alicubi ejusmodi matrimonium dicatur *dirimendum*, aut legatur *solutum*, dicendum est, intervenisse aliud impedimentum v. g. Raptus: non solum defectum consensus parentum. Siquidem duplex est *Raptus*, alius *violentiæ*, quæ infertur parti renitenti: alius *seductionis* & subornationis, cui Persona rapta non repugnat, blanditiis & promissis seducta. De utroque loquitur S. Thomas 2. 2. q. 154. a. 6. „ Violentia quandoque infertur tam ipsi virgini, „ quam Patri: quandoque autem infertur „ Patri, sed non virgini, puta, cum ipsa „ consentit, ut per violentiam de domo Patris abstrahatur. Qualitercunque violentia adsit, salvatur ratio raptus. „: Utrumque raptum constituere impedimentum dirimens propugnat, probatque D. Habertus, agens de impedimento Raptus. Quoniam ergo filia absque Patris consensu seducta & nupta in Gallia habetur pro *rapta*; hinc ejusmodi matrimonium potest dici ex capite raptus esse nullum.

Objic.

Objic. VI. Etiam Principes pagani, quibus parebant primi Christiani, impedimenta matrimoniis suorum subditorum apponebant: ergo etiam nunc possunt Principes Christiani; quia per professionem fidei nihil amiserunt pristinae potestatis. 129

Resp. Ecclesiae oeconomiae causa ejusmodi impedimentis, quae forte a paganis lata fuerant, nihilque Religioni Christianae praejudicabant, consensum praestitit, voluitque fideles suos iisdem ligari, non ideo, quia erant lata ab Imperatore, sed quia recepta & approbata ab Ecclesia, cui aequa videbantur.

Resolutio II. De Matrimonio infidelium, aut etiam de effectu civili matrimonii Christianorum, judicium competit Magistratibus laicis. 130

Prob. Nullam Ecclesia habet jurisdictionem & potestatem nisi in baptizatos; *quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* ajebat Paulus. Cum vero potestas saecularis contractibus naturalibus & civilibus varias possit statuere leges, id omnino potest circa matrimonia, quae sunt nudus contractus civilis, ut sunt inter infideles, etiam Christiano principi subditos. Quantum vero ad effectus civiles Matrimonii fidelium, cum ii a Sacramento non dependeant, nec Ecclesiae potestati subsint, jure suo statuit Magistratus. Hinc determinat jura successionum, pacta dotalia, jura nobilitatis, haereditа-

ditates, privilegia ſtatuum & ſimilia, ut experientia conſtat. Hinc qui contra Principum prohibitionem contrahunt, variis juribus civilibus privantur. Liberi contrahentes invitis parentibus ſpoliari poſſunt jure ſucceſſionis, aliisque privilegiis privari, aut diverſis affici pœnis civilibus, non obſtante quod matrimonium valeat.

131 Resolutio III. Poteſtas ſtatuendi impedimenta dirimentia nunc eſt reſervata ſoli Romano Pontifici, aut Concilio generali.

Prob. I. ex cap. *Majores* de baptismo. Cauſæ majores univerſim, & quæ totam Eccleſiam ſpectant, reſervatæ ſunt ſoli Pontifici. Atqui tales ſunt matrimoniales, & earum impedimenta, *ergo*.

132 II. Maxime conveniens eſt, ut impedimenta in tota Eccleſia eadem, & uniformia ſint; quia ſecus facile poſſent eludi, transeundo de loco impedimenti in alium, ubi illud non eſt dirimens. Ergo hoc ipſo non niſi a Romano Pontifice, aut Concilio generali ſtatui poſſunt; cum nullus Epiſcopus poſſit legem ferre pro tota Eccleſia, ſed ſolum pro ſua diœceſi, nec etiam id omne poſſit pro ſua diœceſi, quod poteſt Pontifex pro tota Eccleſia; contrarium enim non nullorum axioma vehementer improbavit Benedictus XIV. in ſuis de Synodo diœceſana libris. Namque reſtricta eſt Epiſcoporum poteſtas, nec niſi cum ſubordinatione ad ſedem Romanam exercenda. Facit huc etiam experientia,

tia, & obſervantia, qua ſcimus, non niſi a Romano Pontifice iſta impedimenta ſanciri. Hinc quoque facile colligitur neminem, niſi ipſum, in iisdem diſpenſare poſſe, eoquod nullus inferior poſſit diſpenſare in lege ſuperioris. Quodſi Epiſcopi quandoque diſpenſant in non nullis impedimentis dirimentibus, id faciunt facultate a Pontifice ſpecialiter conceſſa, ex privilegio, non jure proprio.

Objic. I. contra III. Reſolutionem. O- 133
lim in Conciliis provincialibus ſtatuebantur impedimenta dirimentia: atqui iſtis Conciliis ſoli intererant Epiſcopi: ergo tunc poterant ſtatuere: cur non etiam nunc?

II. Poſſunt Epiſcopi diſpenſare in impedimentis dirimentibus: ergo etiam poſſunt ſtatuere; quia per quas cauſas quid naſcitur, per easdem diſſolvitur. Et viciſſim.

Resp. ad I. Plura olim poterant Epiſcopi, quæ nunc ſibi ſoli ſummus Pontifex reſervavit, nec ſine juſtis cauſis, maxime quia cauſæ graviores matura plurium indigent diſcuſſione, quod omnium optime fit Romæ cum conſenſu Cardinalium, aliorumque doctorum. Quia vero Concilia indigent approbatione Romani Pontificis, dici poteſt, illa impedimenta, a Conciliis provincialibus ſtatuta, vim obligandi vel ab approbatione Pontificis, vel a receptione populorum ex vi conſuetudinis univerſalis, non ex authoritate Concilii particularis accepiſſe. Cum autem maxime expediat, impedimenta diri-

mentia ubique locorum in Ecclesia esse æqualia & uniformia, hinc congruum, & necessarium videtur, ut statuantur ab eo, qui leges pro tota Ecclesia ferre potest: quod nulli Episcoporum, sed soli Romano Pontifici competit.

Resp. ad II. distinguo *antec.* Potest dispensare Episcopus in matrimonio jam publice bona fide cum impedimento dirimente occulto contracto in iis circumstantiis, ubi nec adiri summus Pontifex, nec matrimonium sine scandalo vel infamia differri potest: *trans.* tunc enim præsumitur consensus Pontificis. Potest absolute & potestate ordinaria extra dictos casus dispensare, *nego.* legi omnino hac de re meretur Benedictus XIV. Lib. VII. de Synodo. cap. 30. ubi evertit adagium: *Episcopus potest in sua diœcesi, quod Pontifex pro tota Ecclesia.* & cap. 31. ubi agit de hac potestate dispensandi, Episcopis nequaquam competente, nisi eam ex privilegio accipiant.

§. V.

De Matrimoniis hæreticorum.

134 Illicita quidem esse, non tamen invalida Catholicorum cum hæreticis matrimonia ob prohibitam cum iis communionem in sacris, convenit inter Catholicos, pluribusque Conciliorum Canonibus statutum scitur, maxime etiam ob periculum perversionis, aliaque

que fidei ac Religionis impedimenta. Valere quoque hæreticorum matrimonia inter ſe vel cum Catholicis abſque alio impedimento Canonico inita, pariter extra controverſiam eſt, cum hæreſis impedimentum dirimens nequaquam ſit. Valere etiam iis in locis, ubi Tridentinum nunquam fuit promulgatum, etiamſi contrahatur abſque Parocho & teſtibus, itidem certum eſt. Controverſia autem agitatur, an hæretici, qui ſine Parocho & teſtibus contrahunt iis in locis, ubi ante eorum apoſtaſiam in ſingulis Eccleſiis Parochialibus promulgatum fuerat decretum Concilii Tridentini, valida ineant matrimonia, ſaltem in ratione contractus, ita, ut proles inde naſcantur legitimæ, & conjuges ad fidem converſi nulla indigeant renovatione conſenſus, nec uno converſo ſolvatur vinculum.

Equidem hanc controverſiam acriter in- 135
ter Doctores diuque diſceptatam diremit BENEDICTUS XIV. declarans, matrimonia ab hæreticis inter ſe, vel cum Catholica in locis fæderatorum ordinum dominio, ceu in Hollandia ſubjectis contracta ſine forma Tridentini, pro validis habenda eſſe, dummodo aliud non obſtiterit Canonicum impedimentum. Addit tamen Pontifex, ſe nihil de novo docere vel declarare circa conjugia, quæ contrahuntur vel in Regionibus principum Catholicorum ab iis, qui in provinciis fœderatis domicilium habent, vel in fædera-

tis provinciis ab habentibus domicilium in regionibus Catholicorum principum. Hinc quid de matrimoniis in Germania, & alibi extra Belgium fæderatum cenſendum ſit, adhuc ſub Judice lis eſt.

136 RESOLUTIO. Matrimonia Proteſtantium absque Parocho & teſtibus inita *iis in locis*, ubi Tridentinum Concilium aliquando *fuit* promulgatum, ſed nunquam receptum, aut contraria conſuetudine abrogatum, probabilius valent in ratione contractus, ſi modo aliud non obſtet impedimentum, ſaltem jure naturæ vel divino dirimens.

Prob. I. Quælibet lex humana etiam Eccleſiaſtica vel præſcriptione, vel contraria conſuetudine etiam per actus malos inchoata abrogari poteſt: atqui *neceſſitas aſſiſtentis* Parochi, quantum ad valorem *eſt lex* ſolum humana: ergo poteſt abrogari; hac autem abrogata nihil obſtat valori matrimonii hæreticorum, uti ſupponitur. Atqui hæc Tridentini lex revera fuit abrogata a Proteſtantibus. Ergo valent eorum matrimonia, *prob.* ſubſumptum. Negari nequit, apud Proteſtantes eam vigere conſuetudinem, ut prætermiſſo catholico Parocho, coram magiſtratu, vel Paſtore, ac teſtibus matrimonium contrahant; atqui hæc conſuetudo valet: ergo habuit vim abrogandi legem contrariam. *min. prob.* tunc conſuetudo contra legem valet, quando lex deſinit eſſe rationabilis, & incipit eſſe inutilis, pernicioſa &

mora-

moraliter impoſſibilis. Atqui lex Tridentini inter Proteſtantes deſinit eſſe rationabilis, & incipit fieri moraliter impoſſibilis: eoquod vel Parochum catholicum ad manum non habeant, vel non niſi cum graviſſimis incommodis, ac detrimentis, pœnisque civilibus eum accedere valeant. In ejusmodi autem circumſtantiis legislator in abrogationem legis tacite conſentire cenſetur; maxime dum obſervantiam non urget. Non urgent autem Romani Pontifices hanc obſervantiam. *ergo* &c.

Prob. II. Quia Galli, utut Catholici, 137
non receperunt hoc Tridentini decretum, hinc eos non obligat; quoniam in non receptionem conſenſit Pontifex, dum eam deſtitit urgere. Ergo etiam quia Proteſtantes nunquam receperunt Tridentinum, aut ſemel receptum abrogarunt, eos non amplius obligat: videtur quoque Pontifex prudenter diſſimulaſſe, ne obligationem urgeret.

Prob. III. Si Proteſtantes iis in locis 138
obligaret lex Tridentini, tunc omnia horum matrimonia eſſent fornicationes, omnes proles illegitimæ: atqui prudenter præſumi non poteſt, quod Pontifex ſua intentione obligandi tot mala velit potius ſeu efficere ſeu permittere, quam in legis abrogationem conſentire. Ergo præſumendum eſt potius, illum tacite in abrogationem conſentire voluiſſe.

139 *Prob. IV.* Filii hæreticorum ad Catholicos transſeuntes abſque ulla diſpenſatione habentur idonei ad ſacros ordines, ad canonicatus cathedrales, & dignitates Eccleſiaſticas, ut frequens eſt Germaniæ praxis: atqui ad hæc omnia non ſunt habiles niſi legitimi: ergo ſunt. Ergo matrimonia erant valida.

Nec ſufficit dicere, ideo filios eſſe legitimos; quia tale matrimonium eſt *putatitium.* Nam hoc dici nequit de iis locis, ubi vivunt Lutherani commixti cum Catholicis, qui legem Tridentinam ignorare nequeunt.

140 *Prob. V.* Si eſſent invalida illa matrimonia, tunc alteruter conjugum ad fidem converſus relicta comparte ad ſecunda vota tranſire poſſet: atqui inde orirentur *ſcandala* & incommoda innumera. *ergo* &c.

141 *Prob. VI.* Sequeretur, quod uterque converſus novo conſenſu & ſolemnitatibus præſcriptis revalidare deberet matrimonium antea nulliter contractum: atqui hoc eſt contra praxin, cum ad hoc non adigantur. *ergo* &c.

142 *Prob. VII.* Si nulla eſſent hæc matrimonia, tunc oriretur ingens confuſio inter gradus conſanguinitatis & affinitatis: ingens dubitatio de legitimitate, ſucceſſione, ſicque redderentur etiam rerum dominia incerta: atqui propter hæc incommoda & incertitudinem inventa eſt præſcriptio: ergo etiam pro-

ptopter eadem admitti debet abrogatio legis, e cujus vigore hæc orirentur incommoda.

Prob. VIII. Cessat apud Protestantes Ratio, quæ movit Tridentinam Synodum, ut invalida decerneret Clandestina matrimonia: atqui cessante ratione legis etiam ipsa cessat lex; maxime ubi concurrunt prædicta incommoda: aut saltem locus est ejus abrogationi, & prudens ratio dicendi, Pontificem in eam abrogationem consentire. Ergo cessat lex Tridentina pro Protestantibus. *Maj. prob.* Ratio Tridentini non fuit alia, quam periculum adulterii in Clandestinis nuptiis, quæ cum probari non potuissent, etiamsi vera fuerint matrimonia, contingere sæpius poterat, ut Maritus dimissa prima uxore, cum qua clam contraxerat, aliam publice vel privatim duceret, & cum nova adulterine cohabitaret. Atqui hoc periculum cessat apud Protestantes, utpote qui non contrahunt Clandestine, sed vel coram magistratu, vel Pastore & testibus. 143

Ex dictis patet, idem etiam probabiliter statuendum esse de aliis impedimentis jure solum Ecclesiastico introductis: maxime cum juris ignorantia plerosque Protestantes de plebe excusare videatur.

Objic. Adversarii I. Leges Ecclesiasticæ aeque stringunt Catholicos quam hæreticos, cum per Baptismum fuerint Ecclesiæ subditi: nec pertinax inobedientia eos ab obser- 144

vantia excusare potest. Ergo obligantur ad legem Tridentini, & hac neglecta invalide contrahunt. II. Pontifex nunquam consensit in legis hujus abrogationem: ergo ruit nostrum fundamentum; sine legislatoris enim consensu lex abrogari nequit, quae non pendet ab acceptatione populi. *antec. prob.* ex pluribus declarationibus Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, quas refert Clariss. P. Böckn ad tit. de Clandestina desponsatione n. 35. maxime vero ex illa anno 1725. 2. Augusti emanata, in causa illustrissimi comitis de Lippe, qui in loco Tridentini Concilii acceptati cum muliere suae sectae Lutheranae contraxerat non praesente Parocho Catholico, sed juxta ritum & praxin Protestantium: accepta autem a muliere fuga ad partes anglicas praedictum matrimonium nullum declaratum fuit ab Episcopo Paderbornensi & Monasteriensi una cum ejus suffraganeo, & simul comiti data facultas transeundi ad alia vota. Cum autem idem comes pro dictae sententiae confirmatione Romae apud congregationem Cardinalium supplicaret, eam quoque obtinuit, ac deinceps cum alia servatis solemnitatibus contraxit. Authenticum hujus declarationis transumptum e Romana curia se accepisse testatur Clariss. P. Böckn loc. cit. quod etiam exhibet.

Resp. ad I. *Dist.* Leges Ecclesiasticae stringunt etiam haereticos *per se* loquendo, &

& nisi fuerint contraria consuetudine abrogatæ, *conc.* supposita abrogatione probabiliter asserta, *nego.*

Resp. ad II. Circumferuntur etiam decreta eorumdem Cardinalium, ubi Protestantium Clandestina matrimonia tunc invalida esse declarantur, quando Parochus Catholicus facile accedi potuit; quoniam ergo supponitur, prædictum comitem facile & sine gravi incommodo coram Parocho Catholico contrahere potuisse, ideo ex ista forsan ratione matrimonium illius irritum declaratum fuit; hoc enim casu legislator non tam facile in legis abrogationem consentire præsumitur.

Quoniam vero, ut notum est, altefatus comes miri non nihil genii fuit, hinc suspicari licet, aliud forte latuisse impedimentum dirimens, propter quod prius illud matrimonium dissolvi potuit. Imo legi litteras a viro fide dignissimo, & qui eo ipso tempore, quo de matrimonii Lippiani nullitate agebatur, una cum comite prædicto Oeniponti morabatur, hac de re anno 1759. exaratas, qui testatur, famam tunc temporis fuisse, comitem Lippium prius illud matrimonium non nisi ad certum tempus contraxisse. Quodsi autem res ita se habeat, jam de nullitate prioris matrimonii, quod ad individuam vitæ societatem iniri debet, abunde constat, nec illa ex capite Clandestinitatis repeti debuit. Cum insuper post istam

Car-

Cardinalium declarationem Benedictus XIV. matrimonia hæreticorum in Belgio fæderato valere edixerit, huic potius, quam illi Cardinalium declarationi ſtandum videtur; maxime, quia vix aliqua ratio pro matrimoniis in Belgio eſſe poteſt, quæ non etiam pro Germania, quantum ad Proteſtantes, faciat, etſi de his nihil *expreſſe* Pontifex declaraverit. Judicent de hoc Sapientiores. Ego prælectionibus iſtis finem impono, cum voto,

Ut in omnibus glorificetur Deus.

Errata — corrigenda

Errata	corrigenda
Pag. 44. l. 18. dubium	mentem
Pag. 45. l. 10. Reſp. ad I.	*legatur poſt finem Reſponſionis ad I. pagina antecedente poſitæ.*
Pag. 220. l. 17. reſponſa	*adde* ignoraſſe
ibidem l. 33. formam quorum e LXX. qui	formam eorum, qui e LXX.

Cætera, quæ oculos correctoris effugerunt, benevola Lectoris prudentia emendabit.

Index universalis

in XII. Tomos Prælectionum theologicarum.

NB. Numerus romanus indicat Tomum, Cifra numerum marginalem; & quia in aliquibus Tomis, ubi incipit novus Tractatus, etiam numeri marginales de novo incipiuntur, in signum distinctionis adjectæ sunt Literæ A. B. vel C.

A.

Absolutio, an quibusdam Peccatoribus olim fuerit denegata? XI. 381. seqq. An concessa fuerit ante expletam satisfactionem? 393. seqq. Quænam in hoc disciplina hodiernæ Ecclesiæ? 406. Quid requiratur in Ministro ad validam absolutionem? 431.

Actus, hominis & humanus quid? III. A. 7. Actus humani finis ultimus, est beatitudo. 8. An omnis Actus humanus fiat propter ultimum finem? 9. Quodnam discrimen inter actus humanos & ho-

hominis? III. B. *a Principio.* Actuum humanorum proprietates. *ibid.* Duplex regula. 67. Actus externus an ſuperaddat novam bonitatem vel malitiam? 75. Finis actus humani triplex eſt. 87. An detur actus humanus in individuo indifferens? 91. ſeqq. Actus interni an poſſint præcipi ab Eccleſia? IV. A. 315. Actus, ut ſit meritorius, debet eſſe bonus & ſupernaturalis. VII. A. 209. Debet eſſe liber a coactione & neceſſitate. 211. An, & per qualem influxum charitatis in Deum referendus? 223. Actus Charitatis ad veram Pœnitentiam requiſitus. XI. 7. Actus fidei, vid. *Fides.*

Adam fuit primus homo. II. B. 64. Unde illius Immortalitas quoad corpus fuerit orta? 135. Quomodo ad Prævaricationem fuerit inductus? 173. Per Pœnitentiam ſalvatus. 187.

Adoratio, an debeatur humanæ Chriſti naturæ? V. 614. Chriſti in Euchariſtia. X. C. 186. ſeq.

Adventus Meſſiæ demonſtrari valet contra Judæos e Vaticinio Jacobi. V. 81. Danielis. 100. Aggæi & Malachiæ. 134. E variis ſignis Meſſiam denotantibus. 139. ſeqq. In Perſona Chriſti adverſus Gentiles demonſtratur. 149. ſeqq.

Advertentia, qualis requiratur ad Peccatum formale? IV. B. 65. Imperfecta excuſat a mortali. 75.

Adul-

Adulter, ad quid teneatur? VIII. 576.
Adulterium an ſolvat matrimonii vinculum? XII. 71.
Æquivocatio, qualis & quando licita? VIII. 113.
Æternitas quid? I. A. 72. Qualis Deo competat? 89.
Agilitas corporis glorioſi. III. A. 259.
Amor triplex diſtinguitur. VII. B. 145.
Angelus quid? II. A. 1. Exiſtere Angelos, eſt de fide. 3. Quando fuerint creati? 17. ſeqq. Ubi? 24. Qualis ſint naturæ? 32. De illorum Hierarchia ſeu ordine. 47. Quot ſint Ordines & Chori Angelorum? 48. An Specie inter ſe differant? 55. Nonniſi tria Angelorum Nomina extant in S. Scriptura 56. Quænam objecta cognitionis angelicæ? 58. ſeqq. De modo cognitionis. 90. ſeqq. Datur in Angelis cognitio matutina & veſpertina. 99. Angelorum locutio quid? 101. Unus Angelus illuminat alium. 103. An detur libertas in Angelis? 108. Quomodo ſe diligant? 114. ſeqq. Quomodo Deum? 120. Creati ſunt Beatitudine naturali. 127. Habuerunt ab initio gratiam ſanctificantem. 134. Secundum proportionem perfectionis naturalis. 145. Habuerunt etiam gratiam actualem, ſaltem ſufficientem. 155. Non indigebant gratia ab intrinſeco efficaci. 159. An Beatitudinem ſupernaturalem meruerint? 190. Angeli boni ſunt impeccabiles. 191.

An in primo inſtanti potuerint peccare? 197. Ecquod fuerit primum illorum Peccatum? 208. De objecto Peccati. 229. De Pœna Damni Angelorum. 244. ſeqq. De Pœna ſenſus. 279. An ſtatim poſt Peccatum fuerint condemnati? 281. An mox in infernum detruſi? 283. An ex ſingulis ordinibus Angelorum aliqui mittantur in hominum Miniſterium? 371. Cuſtos Angelus, an cuilibet homini ſit deputatus? 378.

Animæ hominum non ſunt creatæ ante corpora. II. B. 102. Non transmigrant de corpore in corpus. 114. An de novo a Deo creentur? IV. B. 169.

Animæ in Purgatorio tam pro nobis, quam pro ſe ipſis utiliter orare poſſunt. VIII. 880. An poſſint etiam orari ſeu *invocari*? 887. Utiliter pro ipſis preces fiunt. 925.

Aqua, quænam in Baptiſmo adhibenda? X. A. 27. An vino conſecrationis miſceri debeat? X. C. 115. ſeq. An convertatur in Sanguinem? 127.

Arbor Vitæ, quomodo tribuerit Immortalitatem? II. B. 137.

Arbor Scientiæ boni & mali. II. B. *169*.

Articuli Fidei male diſtinguuntur in Fundamentales & non neceſſarios. VII. B. 19.

Attributum quid? I. A. 2. Dividitur in negativum & poſitivum. 43.

Attritio ex ſolo metu Gehennæ concepta. XI. 101. ſeq.

Auguſtini Mens in diſputationibus de gratia. VI. 23. ſeqq.

Aureola, quid & quotuplex? III. A. 233. ſeq. Quid requiratur ad conſecutionem illius? 236.

B.

Balſami admixtio an requiratur in Chriſmate? X. B. 42. ſeqq.

Baptiſmus quid? X. A. 2. Quando inſtitutus? 3. De Baptiſmo Joannis. 14. ſeqq. Multiplex illius cum Baptiſmo Chriſti differentia. 19. ſeqq. Sola aqua naturalis eſt materia valida Baptiſmi Chriſti. 27. Valet ſive per immerſionem, ſive per affuſionem, ſive per aſperſionem collatus. 35. De forma Baptiſmi. 44. De Miniſtro Baptiſmi ſolennis. 70. ſeqq. & Baptiſmi Neceſſitatis. 76. ſeqq. De valore Baptiſmi ab Hæreticis, Schiſmaticis vel Infidelibus collati. 84. ſeqq. De ſubjecto Baptiſmi. 115. De Baptiſmo Infantum in utero Matrum. 128. ſeqq. Baptiſmus prolium infidelium ſine conſenſu Parentum an ſit licitus? 136. ſeqq. De Baptiſmo adultorum. 145. ſeqq. Neceſſitas Baptiſmi. 149. ſeqq. Eſt omnibus neceſſarius neceſſitate medii. 151. Baptiſmus flaminis an & quando ſufficiat?

 183.

183. Fides aut Votum Parentum an ſuppleat defectum Baptiſmi. 188. De falſis Baptiſmi effectibus. 199. ſeqq. De veris Baptiſmi effectibus & obligationibus. 210. ſeqq.

Beati, quomodo Deum cognoſcant? III. A. 179. Quænam in Deo videant? 189. ſeqq. Deum neceſſario amant. 203. Sunt ab intrinſeco impeccabiles. 210.

Beatitudo eſt ultimus finis actus humani. III. A. 8. Beatitudo objectiva hominis elevati eſt ſolus Deus. 57. Beatitudo formalis in quo conſiſtat? 62. In quo Beatitudo viæ inchoata? 82. Beatitudo erit æterna & inamiſſibilis. 216.

Bigamia in quibusdam Eccleſiis orientalibus interdicta erat. XII. C. 48.

Bona Clericorum. VIII. 173. ſeqq.

Bonitas actus humani unde ſit deſumenda? III. B. 69.

C.

Cambium quid & quotuplex? VIII. 829. An ſit licitum? 830. ſeqq.

Caſtitas triplex eſt. VIII. 7.

Catechumeni an teneantur Legibus Eccleſiæ? IV. A. 342.

Cenſus quid & quotuplex? VIII. 840. ſeqq. Qualis ſit licitus? 843. ſeqq.

Cephas a Paulo reprehenſus. IV. A. 231.

An

An hic Cephas fuerit Petrus Apoſtolus, vel alius ex 70. diſcipulis? 239.

Ceremoniæ quædam a Chriſto & Apoſtolis fuerunt inſtitutæ. IX. 385. Eccleſiæ competit poteſtas inſtituendi Ceremonias. 388. Quæ non poſſunt omitti ſine peccato. 391.

Ceſſio Bonorum, an debitorem a reſtitutione excuſet? VIII. 481.

Character Sacramentorum. IX. 203. An exiſtat, & quibus in Sacramentis imprimatur? 208.

Charitas, quid? VII. B. 147. Quodnam objectum materiale virtutis Charitatis? 152. Quodnam formale? 155. Omnibus Virtutibus perfectior eſt. 170. Quomodo acquiratur? 171. Actus Charitatis quoties ſit eliciendus? 184.

Chorepiſcopi quid? & quænam illorum officia? XII. B. 147. An fuerint meri Presbyteri, an etiam Epiſcopali charactere inſigniti? 150. ſeqq.

Chriſma, illius materia. X. B. 41. ſeqq. Benedictio. 55. ſeq.

Chriſtus, Adamo etiam non peccante, an tamen fuiſſet incarnandus? V. 161. Nullo modo dici poteſt filius Dei adoptivus. 217. Non fuit genitus e virili conſortio Joſephi. 248. Fuit verus Deus. 254. Et verus homo. 272. Aſſumpſit corpus e Maria, non e cœlo delatum. 283. Chriſtus habuit animam humanam & mentem propriam. 312. Vere & proprie

prie pro nobis satisfecit. 458. Potuit mereri, & actu fuit promeritus. 511. seqq. Quomodo? 315. Quid nobis meruerit? 518. Pro solis hominibus mortuus est. 523. Et quidem pro omnibus. 530. An pro omnibus æqualiter? 534. Descendens ad Inferos quosnam inde liberarit? 525. Vere dicitur prædestinatus. 539. Proprie mediator fuit Deum inter & hominem. 545. Est verus Sacerdos. 557. seqq. Est Caput Ecclesiæ, 562. omnium Hominum, 563. & Angelorum. 564. Qualem habuerit scientiam? 567. A primo Conceptionis instanti fruebatur visione beatifica. 572. Quasnam habuerit gratias? 578. Quas Virtutes? 584. Habuit Sanctitatem tam substantialem quam accidentalem. 594. Peccatum nec commisit, nec committere potuit. 596. In actibus a charitate elicitis non fuit liber libertate arbitrii. 598. Habuit strictum moriendi mandatum. 599.

Circumcisio non justificabat ex opere operato, sed operantis. IX. 77. seqq. In quem finem fuerit instituta? 89.

Circuminsessio divinarum Personarum quid? I. B. 261. An admitti debeat? 262.

Circumstantiæ aggravantes an sint exponendæ? XI. 192. seqq.

Claritas corporis gloriosi. III. A. 260.

Clerici, quale habeant Dominium in Bona Patrimonialia? VIII. 175. An etiam in

Bona superflua? 190. Quamvis habeant sufficiens Patrimonium, possunt tamen vivere de reditibus Ecclesiæ. 215. An ex Justitia teneantur ad eroganda superflua in causas pias? 226. An possint testari ad causas profanas? 236. De illorum Cœlibatu. XII. B. 90. seqq.

Cœlibatus, an sit Clericis a Christo præceptus? XII. B. 91. Unde oriatur illius obligatio? 103.

Communicatio Idiomatum quid? V. 413. An in Christo sit admittenda? 315. Regulæ pro illius intelligentia. 443. seqq.

Communio sub utraque specie. X. C. 202. seqq.

Compensatio occulta, an sit licita, & quibus sub conditionibus? VIII. 479.

Concupiscentia an tollat voluntarium? III. B. 8.

Confessio distincta Peccatorum gravium impugnata. XI. 179. Vindicata. 180. seqq. De materia Confessionis. 186. seqq. Confessio publica an fuerit a Christo præcepta? 204. Viguit olim in Ecclesia. 205. Quandoque etiam ab Ecclesia injungebatur. 206. An valeat Confessio per Litteras aut Internuntium? 211. De necessitate Confessionis. 215. seqq. Quando obliget? 219. seqq. Præcepto Ecclesiæ saltem semel in anno est necessaria. 226.

Confirmatio, est verum novæ Legis Sacramentum. X. B. 4. Illius definitio. 9. A

quo, & quando fuerit inſtitutum? 11. ſeqq. Duplex illius materia. 19. Quænam eſſentialis? 20. Quænam Forma apud Latinos. 85. Forma Græcorum. 92. Miniſter ordinarius eſt ſolus Epiſcopus. 99. Extraordinarius etiam ſimplex Presbyter. 106. Quis poſſit eſſe Subjectum hujus Sacramenti? 125. An etiam Parvuli? 127.

Conſcientia quid? III. B. 114. Quotuplex? 115. ſeqq. Tenemur ſequi Conſcientiam certam. 118.

Conſecratio Panis Euchariſtici. X. C. 89. ſeqq. Calicis. 112. ſeqq.

Conſenſus ad Peccatum requiſitus. IV. B. 77. Ad valorem contractus. VIII. 646. Illius contraria. 652.

Conſubſtantialitas Filii cum Patre a nonnullis impugnata. I. B. 52. ſeqq. Statuitur Dogma Catholicum. 56.

Conſuetudo, qualis requiratur ad abrogandam Legem? IV. A. 416.

Contractus quid, & quotuplex? VIII. 605. ſeqq. Quinam poſſint celebrare contractum, quinam non? 612. ſeqq. De forma Contractuum. 645. Qualis conſenſus requiratur ad valorem contractus? 646. An metus obſtet valori? 670. ſeqq. De effectu contractuum. 685. ſeqq. Quid de contractibus ſub conditione initis? 687. ſeqq.

Contritio, quales proprietates requirat? XI. 84. ſeqq. Eſt cauſa remiſſionis Pecca-

catorum. 98. Intra Sacramentum ad Justificationem non requiritur Contritio perfecta. 133. seqq. Nec certa duratio temporis. 172.

Corpus gloriosum, quasnam habeat dotes? III. A. 254. An Corpus Christi humanæ naturæ infirmitatibus fuerit subjectum? V. 302.

Creatio Adami & Evæ ad imaginem Dei. II. B. 87.

Creaturæ, quomodo sint Deo in æternitate præsentes. I. A. 91. seqq.

Crux vera Christi ab Helena inventa. V. 692. Magno semper Christianis in pretio fuit. 696. Signum S. Crucis usus est antiquissimi. 708.

Culpa theologica & juridica. VIII. 386.

Cultus quid & quotuplex? V. 607. Qualis debeatur humanæ Christi naturæ? 614. De cultu Sanctorum. 627. seqq.

Custos Angelus, an cuilibet homini sit deputatus? II. A. 378. An etiam singulis Regnis, Provinciis, &c. 385.

Cyrillus Alexandrinus, an in oppositum Nestorio Errorem inciderit? V. 338.

D.

Dæmones vere peccant, non tamen demerentur. II. A. 265. Illorum obstinatio in malo, & impotentia bene operandi non est physica sed moralis. 271. Quomodo tor-

torqueantur ab igne? 321. 326. Pro ipſis principaliter præparatus fuit infernus. 325. Datur inter illos aliquod regimen. 390.

Debitor moroſus an teneatur compenſare lucrum ceſſans & damnum emergens? VIII. 514.

Deus, eſt ens infinite perfectum. I. A. 4. Neceſſario natura unus. 46. Non eſt hoc totum univerſum. 60. Eſt ens ſimpliciſſimum. 64. Eſt immenſus, ubique præſens & quomodo? 74. ſeqq. Deo competit æternitas proprie dicta. 89. Quomodo illi ſint præſentes res omnes creatæ? 91. ſeqq. Eſt omni modo immutabilis. 107. ſeqq. Eſſentialiter ab æterno vivit. 124. Se ipſum cognoſcit, & quidem comprehenſive. 130. *Etiam* omnia a ſe diſtincta clare cognoſcit. 132. Quomodo videat futura neceſſaria? 141. Quomodo futura libera abſoluta? 142. ſeqq. Futura libera conditionata? 151. Habet voluntatem omnes homines ſalvandi. 193. non ſolum metaphoricam, ſed propriam & ſeriam. 198. Eſt liber a neceſſitate. 213. Eſt omnipotens. 222. An poſſit materialiter meliora facere quam fecit? 224. Neceſſario amat ſe ipſum. 242. Quomodo amet res exiſtentes & poſſibiles? 248. ſeqq. Non videri poteſt oculis corporeis. III. A. 93. ſeqq. Nec ſine attributis, aut una perſona ſine altera. 183. Non poteſt peccare. IV.

B. 22. Nec eſt cauſa moralis alterius peccati. 23.
Diaconatus eſt verum Sacramentum. XII. B. 176. Quænam illius materia eſſentialis? 180. Quænam Forma? 184.
Dictamen ultimum debet eſſe moraliter certum. III. B. 120.
Diſpenſatio quid & quotuplex? IV. A. 134. An detur in lege naturæ? 142. An in lege nova? 284. Facta ſine probabili cauſa an ſit valida vel licita? 412.
Diſtinctio inter Eſſentiam & Attributa abſoluta qualis in Deo admittenda? I. A. 15. ſeqq. Non poteſt admitti realis, 24. ſed ſola virtualis. 37.
Diſtinctio Peccatorum ſpecifica unde deſumatur? IV. B. 29. Unde numerica? 36.
Doctoratus, quid requiratur ad obtinendam illius aureolam? III. A. 238.
Dolor ad veram Pœnitentiam requiſitus. XI. 4.
Dolus, an & qualis reſcindat Contractum? VIII. 652. ſeqq.
Dominium quid & quotuplex? VIII. 119. De Subjecto Dominii. 155. De Dominio Clericorum. 173. ſeqq. Religioſorum. 254. ſeqq. De modis acquirendi Dominium. 290. ſeqq.
Dos animæ, quid & quotuplex? III. A. 230. 231. Dotes corporis glorioſi. 254.
Dubium Juris & facti. XI. 187.

E.

Ecclesia, an possit præcipere actus internos? IV. A. 315. Definiendo non condit novos fidei articulos. VII. B. 13. Habet potestatem remittendi peccata. XI. 52. concedendi indulgentias. 312. statuendi impedimenta dirimentia Matrimonii. XII. C. 119.

Ecclesiastici, an possidere valeant bona temporalia. VIII. 165.

Egredi e sua Patria ad evitandam legem an liceat? IV. A. 365.

Emphythevsis quid? VIII. 284.

Enoch & Elias nondum vita defuncti. III. A. 156. An Deum intuitive conspiciant? 161.

Epikeia quid? IV. A. 134. An locum habeat in lege naturæ? 141.

Episcopatus an sit Ordo & Sacramentum adæquate distinctum a Presbyteratu? XII. B. 130. Quænam sit illius materia? 136. Quæ forma? 138. An ad ordinandum Episcopum tres Episcopi necessario requirantur? 143.

Episcopus est minister ordinarius Sacramenti Ordinis. XII. B. 51. Non potest ordinari valide, si prius non fuerit Sacerdotio inauguratus. 64. An & quo jure a Presbyteris distinguatur? 119.

Error, an & qualis rescindat contractum? VIII. 652. seqq.

Essen-

Essentia rei quid & quotuplex? I. A. 1. Physica Dei Essentia in quo consistat? 4. In quo metaphysica? 10.

Evæ formatio ex costa Adam. II. B. 93.

Eucharistia, est verum novæ Legis Sacramentum. X. C. 2. Non tantum in sui usu, sed etiam permanens. 4. In quo constituatur illius ratio? 11. seqq. De Institutione. 24. seqq. De reali Christi Præsentia. 51. seqq. De modo realis Præsentiæ. 67. seqq. De materia Eucharistiæ. 89. seqq. De forma. 136. seqq. De Adoratione Eucharistiæ. 186. seqq. De necessitate. 193. seqq. De Communione sub utraque specie. 202. seqq. De Ministro Eucharistiæ. 224. seqq. De subjecto. 243. seqq. De effectibus. 254. seqq. De dispositione ad licitam & utilem perceptionem. 287. seqq. An sit verum novæ Legis Sacrificium? 306.

Existentia quid? I. B. 241. Qualis detur in Deo? 242.

Extrema Unctio, est verum novæ Legis Sacramentum. XII. A. 2. seqq. A quo, & quando fuerit instituta? 31. seqq. Quænam materia remota illius? 34. Quænam proxima? 39. Quænam forma? 42. Forma indicativa an valeat? 43. Quis sit Minister? 45. An requirantur plures, an unus sufficiat? 49. seqq. De Subjecto. 54. seqq. De effectu triplici. 63. Primarius est gratia de se remissiva Peccatorum venialium. 64. Secundarius

rius est Sanitas Corporis. 67. De obligatione administrandi, 72. & suscipiendi hoc Sacramentum. 77. An possit iterari? 81.

F.

Fama injuste ablata an, quando & quomodo sit restituenda? VIII. 534. seqq. Quænam sint causæ excusantes? 540. seqq.

Feripetæ an Feras faciant suas? VIII. 292.

Festa in honorem Sanctorum pie sunt instituta. V. 647.

Feudum, quid? VIII. 285.

Fides, qualis requiratur ad *Justificationem*? VII. A. 49. Sola non sufficit. 53. De virtute fidei. VII. B. 1. De illius objecto materiali. 3. formali. 32. Fides non potest resolvi in humanum ratiocinium. 34. nec in solam S. Scripturam, 38. sed unice in Authoritatem Dei revelantis. 45. Actus fidei in quo consistat? 50. Qualis ad Justificationem *necessarius*? 52. seqq. Sæpius in vita elici debet, & quando? 66. Fidem negare verbo aut facto nunquam licet. 69. An & quando detur Præceptum de profitenda exterius fide? 75. De subjecto fidei. 76. seqq. De vitiis fidei oppositis. 95. seqq.

Fi-

Filii cum Patre Consubstantialitas impugnatur. I. B. 52. vindicatur. 56. Filius procedit a Patre, & quidem solo. 114.
Finis in genere quid? III. A. 3. Illius effectus. 4. Varie dividitur. 5. Finis ultimus Peccatoris. 21. hominis justi. 40.
Firmamentum, quid hoc nomine intelligi debeat? II. B. 36.
Forma Sacramentorum non est concionatoria, sed consecratoria. IX. 113. Quibus modis mutari possit? 126.
Formæ conditionatæ usus, quam antiquus? IX. 133. An licitus? ibidem 138. seq.
Fortitudo quid? & in quo consistat? VIII. 58. Virtutes illi connexæ, & vitia opposita. 61. seqq.
Furtum, quodnam sit grave censendum? VIII. 593. seqq.
Futura necessaria quomodo Deus videat? I. A. 141. Quomodo futura libera absoluta? 142. Quomodo conditionata? 151.

G.

Genus hominum tantum unum conditum est, natura bonum. II. B. 79.
Gilberti Doctrina de distinctione Attributorum divinorum. I. A. 34.
Gratia, illius Notio & Natura. VI. 1. Multiplex divisio. 7. Errores circa gratiam actualem exorti. 12. seqq.

Gratia sufficiens quid? VI. 205. Illius Existentia probatur. 212. Quibusnam conferatur? 247. 258.

Gratia efficax. VI. 288. De extrinseca gratiæ efficacia secundum recentiores. 289. seqq. De intrinseca secundum Augustinianos & Thomistas. 324. De gratia intrinsece efficacis natura. 345.

Gratia justificans an a Charitate realiter distinguatur? VIII. A. 67. Quæ sit natura gratiæ sanctificantis secundum Peripateticos? 76. An Ecclesia definierit, gratiam sanctificantem esse accidens absolutum. 85. Quæ illius natura secundum Neotericos. 98.

Gratia sacramentalis in quo consistat? IX. 192.

H.

Hæretici, an teneantur Legibus Ecclesiasticis? IV. A. 345.

Homo, fuit ultimum & præcipuum Dei opus. II. B. 87. In quo statu fuerit conditus? 122. Primi homines fuerunt beati Beatitudine naturali. 127. Fuerunt creati immortales tam quoad corpus, quam quoad animam. 133. Homo non habet dominium suæ vitæ & membrorum. VIII. 122. Habet autem famæ & honoris. 130.

Honorius in caufa Monothelitarum ab Hæresi immunis extitit. V. 333. feqq. Vere quidem, non tamen ut hæreticus formalis fuit damnatus a fexta Synodo. 351.
Horæ Canonicæ quid? VIII. 950. Quinam ad illarum recitationem obligentur? 952. feqq. Quænam ad illas requiratur intentio? 969. Quænam attentio? 970.

I.

Idioma, quid? V. 413.
Idiomatum communicatio. ibidem.
Jejunium Ecclefiafticum tria involvit. VIII. 12. Jejunia Deo grata funt & meritoria. 14. Poffunt ab Ecclefia præcipi. 15.
Jejunium Quadragefimæ eft apoftolicæ Inftitutionis. VIII. 23.
Ignis infernalis eft verus ignis. II. A. 294. Quomodo Dæmones & animas damnatorum torqueat? 321. Principaliter præparatus fuit Dæmonibus, hominibus autem per accidens. 325.
Ignorantia quotuplex? III. B. 9. Quænam tollat voluntarium? 10. Vincibilis Peccatum eft, & frequenter caufa Peccati. IV. B. 14. Invincibilis a Peccato excufat. 17.
Imagines Sanctorum recte in Ecclefia collocantur. V. 725. Earum cultus eft totus relativus. 751.

Immensitas quid? I. A. 70.
Immutabilitas qualis detur in Deo? I. A. 107.
Impedimenta dirimentia Matrimonii potest statuere sola Ecclesia. XII. C. 119.
Impositio manus est materia essentialis SS. Ordinum. XII. B. 39.
Incarnatio, illius impossibilitas probatur. V. 2. An sola ratione naturali demonstrari possit? 13. Deo, & quidem Filio præcipue congruebat. 20. maxime etiam homini, totique mundo. 22. Fiebat modo ex omni parte aptissimo. 24. Tempore convenientissimo. 25. An fuerit necessaria ex hypothesi hominis lapsi? 28. seqq. An Angelis fuerit revelata? 51. seqq. An Adamo? 56. Recensentur errores circa Incarnationem ex*orti*. 62. De causa finali Incarnationis. 160. An Christus Adamo etiam non peccante tamen fuisset incarnandus? 161. De causa meritoria. 167. seqq.
Indifferentia quid & quotuplex? III. B. 48. Requiritur ad essentiam libertatis. 49. Et quidem indifferentia contradictionis. 57.
Indulgentiæ, quid? XI. 310. Ecclesia accepit potestatem a Christo, concedendi indulgentias. 312. Quid requiratur, ut indulgentia suum effectum habeat? 328. Illarum Minister. 347. Subjectum sunt soli fideles. 350. Qualem effectum habeant

beant indulgentiæ pro defunctis concessæ. 353.
Infernus, an ibi detur verus ignis? II. A. 294. Quonam in loco sit constitutus? 304. Quomodo ignis ille damnatos torqueat? 321. Æterna ibi erunt damnatorum supplicia. 338.
Infideles non tenentur legibus Ecclesiæ. IV. A. 341.
Infidelitas quid & quotuplex? VII. B. 95. Quænam sit peccatum? 96. Triplex illius Species. 99.
Ingenitus, tripliciter hæc vox sumi potest. I. B. 280.
Inimicos diligere est Præceptum naturale. VII. B. 201.
Inpassibilitas corporis gloriosi. III. A. 257.
Intentio Ministri requiritur ad valorem Sacramenti. IX. 261. Probabilius non sufficit externa. 272. Non autem requiritur intentio finis 295. sed operis. 300.
Intercessio Sanctorum apud Deum. V. 655.
Invocatio Sanctorum est pia & utilis. V. 663.
Iteratio Sacramenti sub intentione conditionata quandonam sit licita? IX. 138.
Juramentum dolo aut metu extortum, an producat obligationem saltem Religionis? VIII, 723. seqq.
Jus Naturæ, vid. *Lex.*
Justificatio diversas patitur significationes. VII. A. 1. In sensu Catholicorum quid? 2. seqq. In Justificatione peccatoris vere de-

delentur peccata. 13. Per hoc ſolum tamen juſtificatio non abſolvitur. 22. Non fit per eſſentialem Juſtitiam Dei nobis communicatam. 25. Nec per ſolam extrinſecam imputationem Juſtitiæ Chriſti. 30. ſed per internam animæ renovationem. 39. De cauſis Juſtificationis. 44. Qualis requiratur fides? 49. An etiam alii actus, & quales? 53. De Juſtificationis incertitudine. 112. amiſſibilitate. 141. inæqualitate. 154.

Juſtitia, virtus moralis, quid? VIII. 65. Illius diviſio. 67. De ſubjecto. 73. ſeqq. Quænam virtutes illi annexæ. 87.

L.

Legalia ab Apoſtolis ſerio obſervata. IV. A. 225.

Legislator an teneatur ſuis legibus? IV. A. 331.

Lex, ejus Definitio. IV. A. 1. Spectata in Legislatore. 11. Spectata in ſubdito. 12. De illius objecto & fine. 13. Quis poſſit ferre Legem? 16. Ut obliget in actu ſecundo, debet ſufficienter intimari. 18. An neceſſario in Scripturam redigi debeat? 22. Quodnam ſit ejus ſubjectum? 24. Lex variis modis mutari poteſt. 134.

Lex æterna Dei, quid? IV. A. 31. An etiam Deus eidem ſubjaceat? 33. An om-

omnes creaturæ? 37. Ab hac omnes aliæ Leges derivantur. 40.

Lex Naturæ quid? IV. A. 49. 59. Illius exiſtentia probatur. 50. An invincibiliter ignorari valeat? 66. ſeqq. Variæ ſententiæ de illius principio conſtitutivo. 75. ſeqq. Refutantur. 84. ſeqq. Genuinum Principium aſſeritur. 114. Quænam Principia indicativa Legis Naturæ? 128. An mutari poſſit? 136. ſeqq.

Lex vetus poſitiva, Deum Authorem habet. IV. A. 152. Bona fuit, licet non ex omni parte perfecta. 162. An per Angelos, vel per ipſum Dei Filium fuerit promulgata? 170. ſeqq. Conſiſtebat in triplicis generis præceptis. 179. Quosnam obligarit? 189. Quomodo & quando abrogata? 199. ſeqq. Quando vim obligandi amiſerit? 210. Quandonam cœperit eſſe mortifera? 218.

Lex nova definitur. IV. A. 256. Eſt vere præceptiva. 260. Illius materia. 264. Subjectum. 273. In quo differat a lege vetere? 275. An poſſit in illa diſpenſari? 284. Quamdiu ſit duratura? 289.

Lex Eccleſiaſtica quid? IV. A 294. Quis poſſit ferre Leges Eccleſiaſticas? 295. ſeqq. De materia. 314. De ſubjecto. 330. ſeqq. De effectu. 385. ſeqq. An obliget cum periculo vitæ? 391. Recenſentur modi, quibus mutari vel ceſſare poſſit. 403. ſeqq.

Lex civilis, an obliget in Conscientia? IV. A. 426. De illius materia. 432. An se extendat etiam ad spiritualia? 433. De Subjecto. 444. An etiam stringat personas Ecclesiasticas? 445.

Libellus repudii, an Vinculum matrimonii Judæorum diremerit? XII. C. 66. Quare fuerit Judæis permissus? 68.

Libertas, quid & quotuplex? I. A. 211. Est Deo intrinseca, & in quo consistat? 218. Defenditur libertas a necessitate pro Statu naturæ lapsæ. III. B. 24.

Lumen gloriæ requiritur ad visionem intuitivam. III. A. 123. Quid sit secundum Peripateticos? 131. secundum Anti-Peripateticos. 133.

M.

Maria, B. V. a peccati originalis macula pie creditur fuisse immunis. IV. B. 209. Contraxit debitum Peccati originalis, proximum & remotum. 221. An vere dicatur Deipara? V. 193. Fuit Virgo ante & in partu. 291. Etiam post partum Virgo permansit. 294.

Martyrium, quid requiratur ad obtinendam illius aureolam. III. A. 236. & X. A. 163. Supplet Defectum Baptismi. X. A. 165.

Materia Sacramentorum quid & quotuplex? IV. 93. An Christus singulorum Sacramen-

mentorum materiam determinaverit quoad ſpeciem? 97.

Matrimonium, in ratione contractus. In quo conſiſtat illius Eſſentia? XII. C. 4. An valeat cum Pacto perpetuæ continentiæ? 6. An ſit licitum, & a quo inſtitutum? 10. Ratum dirimitur per alterius profeſſionem religioſam. 56. Conſummatum, jure naturali & poſitivo indiſſolubile eſt. 60. Infidelium ſolvitur converſione alterius. 63. Quoad thorum & menſam poteſt ſolvi ob plures cauſas. 79.

Matrimonium, in ratione Sacramenti. Eſt verum novæ Legis Sacramentum. XII. C. 83. Quando Chriſtus Matrimonium elevaverit ad dignitatem Sacramenti? 89. De Miniſtro hujus Sacramenti. 90. ſeqq. An ratio Sacramenti a contractu ſeparari valeat? 111. Quis poſſit ſtatuere impedimenta dirimentia? 119. De Matrimonio cum hæretica. 134.

Mediator Deum inter & hominem fuit Chriſtus. V. 545.

Mendacium ab intrinſeco malum. VIII. 96.

Meritum, bonorum operum. VII. A. 183. Aliud de condigno, aliud de congruo. 184. De falſis conditionibus a Proteſtantibus ad meritum requiſitis. 199. De veris conditionibus ſecundum Catholicos neceſſariis. 208. ſeqq. Merita per Peccatum mortificata per Pœnitentiam reviviſcunt. XI. 46.

Meſſias, vid. *Adventus.*

Metus quid & quotuplex? VIII. 668. An obſtet valori contractus? 670. ſeqq.

Millenariorum Syſtema rejicitur. III. A. 142.

Miniſter Sacramentorum ordinarius eſt ſolus homo. IX. 245. non autem omnis homo cujusvis Sacramenti. 251. Ad Valorem Sacramenti requiritur illius intentio. 261. Qualis? 272. ſeqq. An etiam requiratur ipſius fides? 309. An Probitas? 313. ſeqq. An liceat ab indigno petere Sacramenta? 371. An poſſit peccatori notorio adminiſtrare Sacramenta vivorum? 381.

Miſſio divinæ Perſonæ quid? I. B. 265. Quotuplex? 266.

Monothelitarum Hæreſis circa duplicem Chriſti operationem & voluntatem. V. 316. Honorii factum in illorum cauſa. 332.

Mons Pietatis quid, & an licitus & honeſtus ſit? VIII. 812. ſeqq.

Monſtrum an poſſit baptizari? X. A. 135.

Moralitas ſpecifica actus humani unde deſumatur? III. B. 69.

Motus primo primi an ſint peccaminoſi? IV. B. 5.

Moyſes, an intuitiva Dei viſione in hac vita fuerit donatus? III. A. 169.

Mundus, an poſſit dici formaliter optimus? I. A. 230. An ab æterno extiterit? II. B. 1. A ſolo Deo fuit creatus. II. B. 3.

Et

Et quidem ſex realium dierum ſpatio. 9. Quo anni tempore? 20.
Mutatio, quid & quotuplex? I. A. 106. Mutatio materiæ & formæ, quænam obſtet valori Sacramenti? IX. 125. ſeqq.
Mutuum quid? VIII. 742.

N.

Natura duplex in Chriſto. V. 230. De divina. 247. ſeqq. De humana. 271. ſeqq.
Neſtorius, duas in Chriſto perſonas admiſit. V. 183. An vere docuerit errores, quorum ſuit inſimulatus? 200. An legitime damnatus? 208.
Notiones Perſonarum quid, & quasnam requirant conditiones? I. B. 218. Quinque dantur in Deo. 219.
Nuptiæ ſunt licitæ, & a Deo inſtitutæ. XII. C. 10. ſeqq. Secundæ per ſe non ſunt illicitæ. 40.

O.

Obſervatio Mandatorum poſſibilis eſt, & neceſſaria. VII. A. 173. ſeqq.
Obſeſſi, ſeu poſſeſſi a Dæmone vere dantur. II. A. 408.
Oleum olivarum ad Materiam Chriſmatis requiſitum. X. B. 41. Eſt materia remota extremæ Unctionis. XII. A. 34. In

Ecclesia Latina de Præcepto benedicitur ab Episcopo. 35. In Græca a Presbyteris. 36.

Omnipotentia Dei quid? I. A. 220.

Omnipræsentia non fuit communicata humanæ Christi naturæ. V. 416.

Opera sex dierum explicantur. II. B. 26. seqq.

Opera bona Justorum non sunt peccata, sed vere bona. VII. A. 163. Illorum necessitas. 171. seqq. Meritum. 183. seqq. Sunt de condigno meritoria vitæ æternæ. 186.

Opinio probabilis quid? III. B. 129. Quid speculative & practice probabilis? 130. Quid intrinsece & extrinsece probabilis? 131. An liceat eligere opinionem minus probabilem relicta probabiliore & *tutiore*? 135. seqq. An in concursu æque probabilium liceat eligere minus tutam? 173. An liceat sequi opinionem notabiliter probabiliorem, tutiore, sed minus probabili relicta? 197.

Oratio quid? VIII. 871. Cui & quomodo sit necessaria? 873. Pro quibus facienda? 900.

Ordo definitur. XII. B. 1. Est verum novæ Legis Sacramentum. 2. Septem dantur in Ecclesia Latina SS. Ordines. 11. An Subdiaconatus & Ordines minores sint vera Sacramenta? 21. In administratione hujus Sacramenti semper adhibenda aliqua materia & forma. 37. Quænam

nam

nam materia eſſentialis & integrans? 39. Miniſter ordinarius eſt ſolus Epiſcopus. 51. Extraordinarius Ordinum minorum & Subdiaconatus etiam ſimplex Presbyter eſſe poteſt. 55. Quis poſſit eſſe Subjectum hujus Sacramenti? 58. An etiam uſu rationis deſtitutus? 69. An invitus? ibid. De effectu. 74. De Ritibus Ordinationis, poſt N. 189.

P.

Pactum, quid & quotuplex? VIII. 603. ſeqq.

Panis, qualis in Conſecratione ſit adhibendus? X. C. 92.

Papa, an poſſit ferre Leges pro tota Eccleſia? IV. A. 303.

Parvuli ſine Baptiſmo decedentes, quid de illis ſentiendum? IV. B. 230. ſeqq. Ante uſum rationis valide & licite baptizantur. X. A. 119.

Peccatum, quid & quotuplex? IV. B. *a Principio.* De illius ſubjecto. 2. De cauſa efficiente. 13. An omnia peccata inter ſe connexionem habeant? 45. An unum altero gravius? 50. Qualis advertentia requiratur ad peccatum formale? 65. Effectus Peccati. 78. Macula Peccati in quo conſiſtat? 79. ſeqq.

Peccatum originale quid? IV. B. 93. Illius exiſtentia probatur. 94. Variæ de

illius

illius natura opiniones recenſentur. 130. ſeqq. Refutantur. 137. ſeqq. In quo conſiſtat? 153. Quomodo propagetur in poſteros? 177 - 193. De illius ſubjecto. 204. Quomodo B. V. Maria ab illo fuerit immunis? 209. De Pœnis Peccati originalis. 227.

Peccatum veniale, vid. *Veniale.*

Pelagii Dogma circa gratiam. VI. 13. ſeqq.

Peregrini, an teneantur Legibus locorum ubi tranſeunt? IV. A. 354.

Perfectio ſimpliciter ſimplex, & ſimplex tantum. I. A. 2. Perfectiones creaturarum, quomodo in Deo contineantur? 7.

Perſeverantia finalis, eſt ſingulare Dei Donum. VI. 188.

Perſona quid? I. B. 230. Perſonæ divinæ per quid conſtituantur? 233. Sunt æquales. 254. De prima Perſona in particulari. 280. De ſecunda. 286. De Tertia. 291. Una tantum datur in Chriſto. V. 184.

Perſonæ Eccleſiaſticæ an teneantur legibus civilibus? IV. A. 445.

Pignus quid? VIII. 288.

Pluralitas in Deo repugnat. I. A. 46.

Pœnitentia, qua Virtus, definitur. XI. 2. Quoſnam actus involvat? 3. ſeqq. Datur duplex, interna & externa. 24. Quandonam obliget præceptum Pœnitentiæ? 29. An etiam neceſſaria ſit ad remiſſionem venialium? 41. Quodnam illius objectum? 50.

Pœ-

Pœnitentia, qua Sacramentum, definitur. XI. 51. Illius exiſtentia probatur. 52. ſeqq. Eſt verum novæ Legis Sacramentum. 64. A Baptiſmo diſtinctum. 66. A quo & quando fuerit inſtitutum? 70. ſeqq. Quænam ſit materia hujus Sacramenti? 75. Forma. 365. ſeqq. Pœnitentiæ veteris Ritus. 266. ſeqq. An ſolus Sacerdos ſit Miniſter hujus Sacramenti? 426.

Polygamia quid & quotuplex? XII. C. 15. Simultanea Jure divino eſt interdicta. 16. 25. In quo tamen Deus in Lege veteri cum Patriarchis diſpenſavit. 17. Videtur repugnare non quidem primario, ſed ſecundariis Matrimonii finibus. 29. Polygamia ſucceſſiva per ſe non eſt illicita. 40.

Poſſeſſor bonæ fidei. 347. ſeqq.

Poteſtas Clavium, datur in Eccleſia. XI. 52. in quo conſiſtat? 55.

Præadamitarum Syſtema rejicitur. II. B. 64.

Prædeſtinatio quid? I. A. 251. ſeqq. Dupliciter ſpectatur. 258. Illius proprietates. 263. Ad gloriam eſt prorſus gratuita. 264. Effectus illius adæquatus & inadæquatus. 282. Prædeſtinatorum numerus eſt determinatus. 301. Series Decretorum Dei. 304. De Prædeſtinatione Chriſti. V. 538. ſeqq.

Præſcriptio quid? VIII. 323. Quaſnam requirat conditiones? 324. An etiam

pro

pro foro interno transferat Dominium? 330.

Presbyteratus, an valide conferatur non præmissis reliquis ordinibus? XII. B. 64. De Ritu hujus ordinis. 166. Quænam materia essentialis? 167. Quæ forma? 170.

Privilegium, quid & quotuplex? IV. A. 405.

Probabilismus, vid. *Opinio probabilis.*

Processio divina quid & quotuplex? I. B. 98. Duæ solum sunt in Deo processiones activæ. 100. Duæ passivæ. 101. Quasnam habeant Proprietates? 106. De Processione Filii. 112. seqq. De Processione Spiritus S. 145. seqq. De Principiis divinarum Processionum. 172. seqq.

Promulgatio an sit de Essentia Legis? IV. A. 18.

Propositiones quinque Jansenii damnatæ. VI. 21.

Propositum efficax ad veram Pœnitentiam requiritur. XI. 16. seqq.

Protestantes in Germania, an teneantur legibus Ecclesiæ? IV. A. 346.

Providentia quid? I. A. 177. Dupliciter spectatur. 178. Datur in Deo. 179. Omnia ei subsunt. 181. Semper consequitur suum finem generalem, ultimum. 187. Rebus necessariis, non autem liberis necessitatem imponit. 188.

Proximus diligi debet actu interno & positivo. VII. B. 197. Sub hujus nomine

ve-

veniunt etiam Peccatores & inimici nostri. 199. Dilectio Proximi, quoties obliget? 203. Quis in illa servandus ordo? 204.
Prudentia, virtus, quid? & quænam illius munia? VIII. 1. Varia illius divisio. 2. Vitia opposita. 4. seqq.

Q.

Quadragesimæ Jejunium est apostolicæ institutionis. VIII. 23.
Quesnelli errores circa gratiam. VI. 22.

R.

Reatus Peccati quandonam contrahatur? III. B. 5. Reatus Pœnæ temporalis non semper remittitur dimisso reatu culpæ & pœnæ æternæ. XI. 234.
Regula operationum nostrarum duplex. III. B. 67.
Relationes divinæ existunt. I. B. 195. Sunt reales. 196. Quot dentur? 202. Quomodo distinguantur? 203. De illarum Perfectione. 210. seqq.
Religio, virtus, definitur. VIII. 862. Illius objectum materiale & formale. 863. An sit virtus theologica, an vero moralis? 865.

Religiosi sunt capaces Dominii in communi bonorum. VIII. 256. Non autem in Particulari. 263. Unde ista incapacitas oriatur? 267.

Reliquiarum cultus antiquissimi usus. V. 712. Est totus relativus. 751.

Reprobatio quid & quotuplex? I. A. 305. Calvini Dogma. 306. De causa reprobationis positivæ. 308. negativæ. 314. Quinam effectus. 328.

Res, derelicta cuinam cedat? VIII. 309. Cuinam res perdita? 311. A fure empta, cui sit restituenda? 454.

Restitutio quid? VIII. 376. Quomodo necessaria? 377. Ex qua culpa oriatur illius obligatio? 388. seqq. Quis ad illam teneatur? 419. seqq. Cui fieri debeat? 451. seqq. Quo in loco, & cujus impensis facienda? 471. seqq. De causis excusantibus a restitutione. 478. De causis differendi. 508. De restitutione facienda ob damnum in bonis animæ illatum. 516. seqq. Ob damnum in bonis famæ vel honoris. 533. seqq. Ob damnum in bonis corporis. 548. seqq. Ob damnum in bonis fortunæ. 592. seqq.

Restrictio mentalis, quid? VIII. 94. An sit licita? 95. & 108.

Resurrectio Corporum evincitur. III. A. 242.

Revelationes privatæ an credi possint fide theologica? VII. B. 5.

S.

Sacerdos, ſolus eſt Miniſter Sacramenti Pœnitentiæ. XI. 426.

Sacramenta, Definitiones a Proteſtantibus fictæ. IX. 1. ſeqq. Definitio Catholica. 26. Hæreticorum Errores de Exiſtentia & Numero Sacramentorum. 49. ſeqq. Septem in nova Lege exiſtunt Sacramenta. 51. De Differentia Sacramentorum veteris & novæ Legis. 68. ſeqq. An Chriſtus materiam ſingulorum Sacramentorum determinaverit quoad ſpeciem? 97. An etiam formam? 109. Quænam mutatio materiæ, vel formæ obſtet valori Sacramenti? 125. ſeqq. An liceat adhibere materiam vel formam dubiam? 130. An & quando liceat proferre formam conditionatam? 133. ſeqq. Iteratio Sacramenti ſub intentione conditionata quandonam licita? 138. De effectu Sacramentorum. 150. ſeqq. Sacramenta novæ Legis conferunt gratiam ex opere operato. 152. De charactere Sacramentorum. 203. De reviviſcentia. 219. An Chriſtus immediate inſtituerit ſingula novæ Legis Sacramenta? 234. De Miniſtro Sacramentorum. 243. De ſubjecto. 336. De diſpoſitione ſubjecti ad validam Sacramenti ſuſceptionem. 337. Ad licitam & fructuoſam. 354. An liceat

ab indigno petere Sacramenta? 371. An indigno ministrare? 381.
Sacramentalia quid? IX. 382.
Sacrificium veteris Legis, illius finis & triplex species. IV. A. 180.
Sacrificium Missæ, in quo consistat illius Essentia? X. C. 318.
Sapientia in Deo quid? I. A. 176.
Satisfactio Christi ex se fuit æquivalens. V. 476. Imo superabundans. 486. Fuit ex vera Justitia. 490. Ad omnem rigorem exacta. 496.
Satisfactio sacramentalis duplex. XI. 244. Sacerdos tenetur imponere aliquam Satisfactionem. 245. Pœnitens tenetur eam acceptare. 249. An possit satisfacere in peccato mortali. 263.
Scientia Dei quid? & in quo *differat* à scientia humana? I. A. 127. Quotuplex? 128. Quodnam illius objectum? 129. Quodnam medium? 134. seqq.
Scientia media. I. A. 167. Illius Systema 168. An sit admittenda? 170. seqq.
Servitus quid & quotuplex? VIII. 283.
Sigillum Confessionis quando obliget? XI. 434. Quid sub illo comprehendatur? 438.
Spes, virtus, illius Definitio. VII. B. 101. Quodnam illius objectum materiale primarium? 106. Formale? 117. De illius subjecto. 132. Actus Spei quomodo sit necessarius? 136. Sæpius obligat in vita. 138. Vitia spei opposita. 143.
Spi-

Spiritus S. est distincta Persona, Patri Filioque consubstantialis. I. B. 75. Procedit a Patre & Filio, tanquam unico Principio. 147.
Status naturæ puræ quid? II. B. 143. An homo in hoc statu potuerit creari? 149.
Stuprator Virginis ad quid teneatur? VIII. 555. seqq.
Subdiaconatus, an sit Sacramentum? XII. B. 21. Quænam illius materia & forma? 186.
Subsistentia quid? I. B. 241. Qualis & quotuplex detur in Deo? 246.
Subtilitas corporis gloriosi. III. A. 258.
Superbia Angelorum, in quo videatur fuisse reposita? II. A. 229.
Synthereſis quid? III. B. 114.

T.

Temperantia quid, & quænam illius species? VIII. 6. Virtutes illi annexæ. 8.
Tentatio Adami. II. B. 173.
Thesaurus inventus cuinam cedat? VIII. 308.
Transmigratio animarum de corpore in corpus rejicitur. II. B. 114.
Trinitas Personarum divin. I. B. 1. Synopsis Errorum circa hoc Dogma. 2. seqq. Vindicatur. 19. An Mysterium SS. Trinitatis sola ratione naturali demonstrari possit? 84.

V.

Vaticinium Jacobi benedicentis. V. 79. Ex hoc demonstratur Adventus Messiæ. 81. seqq. Uti etiam e Vaticinio Danielis. 97. seqq.

Veniale Peccatum, an per accidens puniri possit pœna æterna? IV. B. 90. Diverso modo dici potest veniale. 258. Sunt quædam peccata ex natura sua venialia. 259. De discrimine venialis a mortali. 270. An possit conjungi cum peccato originali? 287. Non potest remitti sine mortali. XI. 43. Est materia sufficiens Confessionis. 189. Ordinarie libera. 190. Quandoque necessaria. 191.

Verbum divinum quid, & in quo differat a verbo mentis humanæ? I. B. 287.

Vinum, materia Consecrationis. X. C. 112. seqq.

Violentia an tollat Voluntarium? III. B. 6.

Virginitas, quid requiratur ad obtinendam illius aureolam? III. A. 237.

Visio Dei duplex. III. A. 91. Intuitiva quomodo possibilis? 107. Ad hanc requiritur lumen gloriæ. 122. Duplex illius objectum. 178. Illius Proprietates. 202. Non erit in omnibus æqualis. 222.

Unio hypostatica, quid & qualis? V. 367. seqq.

Unitas in Deo necessaria. I. A. 46.

Voluntarium quid? III. B. 1. Quotuplex? 2. ſeqq. Huic quatuor obſtant. 6.
Voluntas Dei, quid & quotuplex? I. A. 190. ſeqq. Deus habet voluntatem omnes ſalvandi. 193. An ſemper ſit efficax? 206. Illius Perfectiones. 210. In Chriſto duplex admittenda eſt. V. 320.
Vota Sanctis facere, an ſit licitum? V. 651.
Uſura quid & quotuplex? VIII. 742. An licita? 743. ſeqq. Quinam Tituli ab illius pravitate excuſent? 764.
Uſusfructus quid ſit? VIII. 271.

FINIS.

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

Errata	corrigenda
Pag. 44. l. 18. dubium	mentem
Pag. 45. l. 10. Resp. ad I.	*legatur post finem Responsionis ad I. pagina antecedente positæ.*
Pag. 220. l. 17. responsa	*adde* ignorasse
ibidem l. 33. formam quorum e LXX. qui	formam eorum, qui e LXX.

Cætera, quæ oculos correctoris effugerunt, benevola Lectoris prudentia emendabit.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Scholliner, Hermann, 1722-1795

P. Hermanni Scholliner, Benedictini Oberaltacensis, Ss. Theol. Doctor. ...
Praelectiones Theologicae in XII. Tomos divisae, ...

Bd.: 12

Augustae Vindel. ; Oeniponti 1766

Dogm. 895-12
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10399418-9
VD18 80212344